400
BIBLIOTECA

490
490

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute


https://archive.org/details/andreaegrittipri00barb


ANDREAS·GRITI·DVX·VENETIAR·ET·C·X·
VENET·

490

ANDREAE GRITTI
PRINCIPIS VENETIARUM
VITA
NICOLAO BARBADICO
AUCTORE
ALEXANDRO ALBRITIO
PROCURATORIS DIVI MARCI
DIGNITATEM INEUNTE
PRIMUM EDITA

ANTONIANUM COLL. UNIV. BIBL. 9 B 5



VENETIIS
TYPIS CAROLI PALESII
M. DCC. XCII.

E 4

MAPHAEO ALBRITIO

SENATORI PRAESTANTISSIMO

IACOBUS MORELLIUS
S. P. D.

Iamdudum est, Maphæe Albriti Senator præstantissime, cum te munere aliquo litterario palam donare in animo habeo; ut ea, quæ utrumque nostrum maxime decet, ratione eximiam observantiam ac voluntatem erga te meam significem atque declarem. Postulat id equidem per-

petua

petua benevolentia in me tua, qua maxime ductus, vix dum adolescentulum consilio iuvare, auctoritate fovere, omnique comitate complecti consuevisti: postulat vero & in litteris colendis a te semper posita opera, qua ne eruditionis laus tibi desit, es plane assequutus. Illud autem percommode nunc accidit, ut propositum hocce meum exequi pulcherrime liceat; occasione ab Alexandro fratris filio, dignitatem Procuratoris Divi Marci, magno civium consensu ei delatam, ingrediente, quodammodo oblata. Optimo namque consilio ut in hac pompa sua iucundissima quæ ad Veneti nominis laudem atque honorem unice facerent, delectu habito, typis vulgarentur ipse constituit, ac ut id perficerem mihi, pro sua de me opinione, mandavit. Cuius ego

vo-

voluntati morem gerere cum maxime vellem, Andreæ Gritti Principis Venetiarum Vitam a Nicolao Barbadico accurate atque elegantissime scriptam, nunquam vero editam, mihi in lucem proferendam esse duxi; haud sane inopportunum libellum, cum quod ad Reipublicæ gloriam magis magisque propagandam mirifice idem conferat; tum quod eum auctorem habeat, cuius e gente Alexander idem Procurator, & Vincentius ac Iosephus fratres, virtutum laudibus spectatissimi viri, maternum genus ducant; atque adeo monumenta illius litteraria ne lateant, sollicitos eos esse omnino par sit. Opellam itaque hanc, veluti munus quoddam præclarum ad te affero; & id quidem fidenter admodum, quod ingenii alieni fœtu longe pretiosissimo oblato, ne vilia, quæ mea

es-

essent, tibi dare cogar, rectissime fit. Tu, qua in me humanitate es, hoc studii in te mei testimonium excipias: cui, quæ mea fortuna est, non mediocris gratia vel ex ipso tempore, quo illud tibi offero, merito videtur accedere; quo nimirum ob honorem amplissimum in Albritiorum familiam iterum illatum, civitatis universæ hilaritas se undequaque explicat ac effundit.

IACOBI MORELLII

BIBLIOTHECAE D. MARCI VENETIARUM CUSTODIS

PRAEFATIO

Etsi præclara Andreæ Gritti Venetiarum Principis facta cum illustrium scriptorum monumentis, tum vero magnitudine ipsa sua immortalitati commendata, ut quenquam lateant, vix fieri possit; universæ tamen vitæ eius rationem recte atque ordine descriptam cognoscere præstat; ut quibus quasi gradibus ad summam nominis celebritatem is ascenderit, quo virtutum nexu eam sibi servaverit, & quam parum etiam detrimenti ex vitiis atque defectibus eadem acceperit, omnino intelligi possit. Ac in rebus quidem ab eo fortiter & prudentissime gestis enarrandis atque laudibus extollendis historici, oratores, poetæ quodammodo certavere; præsertim vero Petrus Bembus, Paullus Paruta, Andreas Maurocenus, Petrus Iustinianus, Franciscus Guicciardinus, Paullus Iovius, historiam Venetam, vel Italicam tractantes; Iovita Rapicius in Oratione de Aristocratiæ Venetæ & Gritti in ea Principis laudibus, ac Bernardus Nau-

* gerius

gerius in Oratione luculentissima, qua eum vita functum laudavit (1); Publius Franciscus Modestus in Venetiade, Pierius Valerianus in Carminibus hexametris atque Odis, ac Hippolytus Fantotius in Grittiade: quibus Petrus Paullus Vergerius iunior accedit in libello de Republica Veneta primo, in quo eundem a philosophiæ quoque studio collaudat (2).

Neque

(1) Naugerii Oratio ex bibliotheca Naniana, in commentario de codicibus manuscriptis Latinis bibliothecæ eiusdem, ante annos sexdecim a me primum edita est.

(2) Quandoquidem Vergerii libellus, anno 1540 Tusculani impressus, eximiæ raritatis est, ex eo locum de Gritto huc afferre, haud abs re est. Nimirum ita Nicolaus Leonicus Thomæus cum Petro Bembo colloquitur: „ Iam ab ineunte „ ætate dedit, quasi in illum amplissimum dignitatis & laudis gradum omnino vellet hac ætate pervenire, virtutis „ suæ documenta maxima. Nam cum adolescens in gymnasio Patavino magna cum laude philosophiæ nobiscum operam daret; incredibile dictu est, quanta & quam matura prudentia & gravitate, quanta gratia, quanta felicitate prorsus ante annos fuerit. Equidem illius temporis „ recordatione iucundissime fruor, quia in illo cursu veterum studiorum amicus illi ac pene familiaris fui: quod „ mihi magnæ quidem laudi attribuo. Nam etiam gymnasium nostrum existimo tantam laudem & gloriam ex dignitate & virtute huius alumni assequutum esse, quantam „ antehac ulla ex caussa nunquam".

Neque tamen quisquam hominem totum integro commentario repræsentavit & posteritati ob oculos posuit, præter unum Nicolaum Barbadicum: qui qualis vir exstiterit, quidnam de hac eius scriptione memoriæ proditum sit, quænam ipsius fortuna fuerit, ad me hoc loco dicere attinet.

Nicolaus Barbadicus gente apud Venetos nobilissima ortus est, anno millesimo quingentesimo tricesimo quarto, Ioanne Baptista patre, matre Iustina e Gritta familia. Humanioribus litteris sub Marci Paschalici, viri patricii, disciplina operam dedit: qui cum Orationes duas a se scriptas, a Barbadico autem habitas typis emitteret, de eo iam adolescente præclaram spem palam excitavit (3). Namque epistola nuncupatoria Marcum Antonium Amulium, qui postea Cardinalis fuit, sic alloquebatur: *Quamvis equidem in meo litterario ludo, in quo non turpe nunc ea docere, quæ iam didicisse puto gloriosum, complures habeam primæ nobilitatis adolescentes cum Nicolao Barbadico*

(3) *Orationes duæ Marci Paschalici philosophiæ & theologiæ Doctoris, altera de scientiarum laudibus, altera vero de Veneta sponsaliorum maris ratione. Venetiis, apud Gabrielem Iolitum de Ferrariis*, 1548. *in* 8.°

dico ingenii felicitate ac memoriæ ubertate contendentes; studii tamen assiduitate illi conferendum habeo sane neminem. Nam præ litterarum ardore ita voluptatum fomenta restinxit, tantumque indixit voluptatibus bellum; ut ad ea, quibus ceteri pueri id ætatis agentes incumbunt, animum nunquam applicuerit; sed totam suam dat litteris & assiduam & alacrem operam, ut interdum nimium assiduus & contumax in studiis esse videatur; si tamen in discendo aliquid nimium & plus iusto reperiri possit. Atque, si quid ex his quæ oculis intuemur, divinare liceat; illud audacter tibi polliceri possum, si supervixerit, magnum bonis omnibus suæ probitatis fructum, maiorem parentibus suæ eruditionis laudem, maximam certe patriæ suarum virtutum allaturus est gloriam. Quibus paria Augustinus Valerius est ominatus (4). *Quis*, inquit ille, *Nicolai Barbadici nostri elegantissimis scriptis non delectetur? Transfert ille adolescens e Græcis & Latinis scriptoribus in nostram linguam quasdam sententias ita venuste, iisque tanto iudicio pro suis utitur, ut omnes in sui admirationem trahat:*

(4) In libello inscripto *Quibus in artibus adolescens Venetus debeat excellere*, cum libro eiusdem *De recta philosophandi ratione* Veronæ impresso an. 1577. in 4.° p. 72. t.

hat: qui cum ætate processerit, & studium operamque in rebus præclaris tractandis collocabit, Deus bone! quam magnus est futurus orator? Disciplinis elegantioribus instructus, philosophicis cognoscendis se addixit; domi Iacobo Fuscareno, ut puto, certe autem Patavii Bernardino Tomitano (5), præceptoribus usus.

Ad rempublicam ut accessit, inter Quinqueviros rebus maritimis in Senatu procurandis primum adscitus est: deinde Quadragintaviralis iudex factus, Triumvir ex Advocatis Reipublicæ evasit. Quinquevir postmodum Senatui regendo est delectus, iterumque Reipublicæ Advocatus. Iis in muneribus cum se magnopere probasset, in Senatum cooptatus est, deinde anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto ad præturam Veronensem gerendam missus: quem magistratum quanta providentiæ ac sollicitudinis laude administraverit, monumentum hoc, tum typis editum, aperte declarat (6).

QVOD.

(5) *Le Coronazioni di Francia e di Polonia del Cristianissimo Enrico III. descritte da Pietro Buccio Bresciano. Padova*, 1576., *in* 4.° *p.* 135.

(6) Monumentum Cæsar Nichesola edidit in libello, anno 1576. Veronæ impresso, cui titulus *Raccolta delli componi-*

QVOD . NICOLAI . BARBADICI . PRAETORIS . OPE
RA . CONSILIO . LIBERALITATE . SOLERTIA
DIFFICILLIMO . PESTILENTIAE . TEMPORE . VE
RONA . SIT . PERICVLO . LIBERATA . VRBANO
PROVISVM . OTIO . PLEBIS . EGESTATI . ANNO
NA . CONSVLTVM . PRAETORIVM . MAGNIFICE
REFECTVM . OBSCVRIORES . CARCERES . ILLV
STRATI . AMPHITHEATRI . ARENA . SORDIBVS
PVRGATA . PRAETVRA . DENIQVE . PRAECLA
RISSIME . ADMINISTRATA . ID . NICOLAVM . BAR
BADICVM . BENE . ET . E . CIVIVM . COMMO
DO . PRO . SVA . MAIORVMQ. SVORVM . DIGNI
TATE . POSTERORVMQ. EXEMPLO . BENE . GE
RENDAE . PRAETVRAE . FECISSE . SIBIQ. GRA
TA . ET . ESSE . ET . FORE . TESTATI . SVNT
CIVES . VERONENSES . MDLXXVI.

In

nimenti scritti in lode del Clarissimo Sig. Niccolò Barbarigo Podestà di Verona: hoc vero idem veluti a suburbii D. Zenonis populo positum Veronæ ad ædem D. Proculi exstat, allatum a Francisco Sweertio in Selectis Christiani Orbis Deliciis p. 165. edit. Colon. 1608.

In patriam reversus, Quinquevir Senatui regendo, itidemque Advocatus Reipublicæ denuo factus est (7). Anno demum millesimo quingentesimo septuagesimo septimo ad legationem apud Turcarum Imperatorem obeundam de more missus, biennio post, munere nondum exacto, Byzantii vitam finivit. Optimi ac præstantissimi civis corpus in patriam deportatum, ad ædem D. Mariæ Caritatis conditum fuisse, hoc ex epitaphio, quod superest, omnino constat.

OSSA NICOLAI BARBADICI PATRICII VENETI
HVC LAVRENTII FRATRIS CVRA
CONSTANTINOPOLI DELATA
VBI POST ALIA REIP. MVNERA
PRAECLARE GESTA
LEGATVS AETATIS ANNO XLV. OBIIT
ANNO SAL. MDLXXVIIII.
PAVLLAE ETIAM MAVROCENAE
EIVSDEM LAVRENTII VXORIS INTEGERRIMAE.

Mo-

(7) Ex publicis tabulis hæc hausta sunt.

Morum equidem honestate atque elegantia Barbadicum præstitisse, inter ceteros locuples testis est Hieronymus Donzellinus Brixianus, qui cum Epistolas Principum Rerumpublicarum & sapientum Virum, a se collectas, anno 1574. Venetiis in lucem emitteret, ac illi inscriberet, ait: *Etsi enim illustrissimæ tuæ genti ac familiæ communis est magnanimitas, ac reliquarum virtutum omnium veluti regina, animi fortitudo; tu tamen quamplurimas alias addidisti, ut optimarum artium scientiam, æquanimitatem, laborum tolerantiam, pietatem singularem, aliasque innumeras, quæ te merito omnibus commendatum reddant; ut vere nemo sit, qui non tibi fausta ac felicia omnia a Deo optimo comprecetur ac optet*. At vero ingenii laude is mirifice floruit. Eloquentia valuisse conciones duæ ad Senatum habitæ, quo tempore inter Quinqueviros eidem regendo præerat, indicio sunt: altera, qua ne ad Rempublicam pecuniæ inopia laborantem sublevandam, officia eorum qui magistratibus assident, venderentur; bene vero magistratus ipsi decimam stipendiorum suorum partem per annos viginti Reipublicæ remitterent, suasit: altera, qua lex lata, ne sex millium aureorum nummum summam dos ulla excederet, abrogaretur; etiam vero decem nummum

il-

illiusmodi millia dotis nomine dare liceret, magnopere contendit: quæ conciones equidem ne nos latuerint, unius Augustini Valerii Cardinalis diligentia factum est (8). Ac optimam quoque opinionem de eo suam Valerius identidem declaravit, præsertim vero in opere De Cautione adhibenda in edendis libris (9). *Vivebat*, inquit ille, *& optimis disciplinis dabat operam eo tempore Nicolaus Barbadicus, tribus annis minor me natu; qui dum philosophiæ operam daremus Patavii, me diligere & plurimi videbatur facere. Is cum præclarissimum a natura duxisset ingenium, ad eloquentiam videbatur natus. Scribebat Latine egregie, & soluta oratione, & carmine. Rogante me eius patre, hortatus sum illum libello satis longo, ut more maiorum nostrorum, Venetiis caussas ageret; quod honorificum esse demonstravi: nonnullos e nostris, qui principes deinde fuerunt, illo in munere fuisse versatos, & patrimonium suum auxisse commemoravi. In eo libello*

vires

(8) Concionis utriusque summam Valerius affert in opere De utilitate capienda ex rebus Venetorum, ex Italica Nicolai Antonii Iustiniani Episcopi Patavini interpretatione Patavii impresso anno 1787. Vide pag. 382. 389.

(9) Pag. 18.

vires quantulæcunque sunt ingenii mei effundere conatus sum. Fuit ille deinde egregius Senator Veronæ Prætor, dum ipse essem Episcopus, cum collegam haberet Aloysium Contarenum (qui in omnibus mihi obsequiis præstandis certabant invicem): & pro Republica Byzantii Baili munere fungens, superioribus annis est mortuus; vir, qui amplissimos omnes magistratus in Republica facile esset consequutus: ad quem etiam paullo ante libellum de consolatione, quem in fratris, quem unice diligebat, morte conscripserat, miseram.

Ad historiam tamen cum laude conscribendam Barbadicum aptissimum reputabat Valerius (10), eadem

(10) „ Cur Prætor ingenio, iudicio, dicendi & scribendi „ facultate præditus, non scribis historiam? Cur Polybium „ imitandum non tibi proponis, non res civiles scribens „ philosopharis? Cur illo stilo, tot luminibus distincto, con„ cionibus illam vim ingenii tui non infundis". Hæc Valerius ad Barbadicum, apud V. Cl. Marcum Fuscarenum *Della Letteratura Veneziana* p. 299. Idem in opusculo inscripto *Ricordi per scrivere le Istorie della Repubblica di Venezia di questi tempi dati a M. Luigi Contarini Cavaliere*, edito a F. Ioanne Baptista Contareno Ordinis Prædicatorum, inter Anecdota Veneta T. I. p. 191. scribebat: *Fate in ogni modo che M. Niccolò Barbarigo nostro vi lasci lui ancora, prima che vadi al suo carico di Costantinopoli, qualche ricordo suo sopra*

dem hac in re sententia usus cum ea, quæ, Ioanne Michaele Bruto teste, communis iam erat. *Ac Valerio quidem paullo inferiorem ætate Nicolaum Barbadicum, peracri adolescentem ingenio, studio flagranti, eruditione summa perfecisse aiunt; ut cum incredibilem sui expectationem hac sua florenti ætate concitarit, unum illam modo tueri, præterea contendant posse neminem. Cum enim eloquentiam a naturæ fonte hauriat, qua maxime excellit, tanquam nihil habeat ab ingenio adiumenti, studium acerrimum, usum, exercitationem adhibere affirmant; quibus eos processus fecerit, ut cum iam a nullo vinci scribendi laude possit, iam sui ille æmulator vehementius quotidie cupiditate & studio vincendi sui incendatur. Uterque autem cum ingenio & studio præstet, & amplissimo sit loco natus, aditum habet ad ea cognoscenda facillimum, sine quibus fungi hoc munere nemo præclare potest.* Hæc Brutus noster, procul a patria positus, ad Paullum Theupolum scribebat, cum homines patricios ad historiam Venetam tractandam maxime

pra di ciò; perchè ha testa molto capace e giudicio da farne stima grande in molte sorti di lettere, principalmente in quello di scriver istorie.

xime idoneos commemoraret (11). Sane cum ad Vitas Venetorum illustrium scribendas Barbadicus animum adiecisset, stilo, uti videre est, ad veterum scriptorum, præsertim vero Cæsaris, imitationem accommodato, commentariis duobus exhibitis, altero de Caspare Contareno Cardinali, altero de Gritto Principe, operam suam in eiuscemodi provincia excolenda viris doctissimis ita probaverat; valde ut optarent Paullus Manutius & Valerius idem ne eam ille unquam desereret (12). Neque tamen de Vitis aliis,

(11) *Epistolæ Clarorum Virorum*, *a Io. Michaele Bruto collectæ*. *Lugduni*, 1561. *in* 8.° *p.* 179.

(12) Manutii ad Barbadicum Epistolam ne hic afferram, nullo modo committere queo: exstat ea inter ipsius epistolas Venetiis propriis typis anno 1560. impressas p. 44.

Ho veduta questi due dì con molta diligenza e con infinito mio piacere la Vita, che mi lasciaste, del Cardinal Contarini, scritta da voi latinamente: della quale non intendo di dirvi molte cose. Bastivi questa sola; e, se confidate nel mio giudicio, tenetela per vera; che lo stile con la materia contende. Operò egli con virtù, e voi avete scritto con eloquenza. Egli alla patria e a Santa Chiesa giovò mirabilmente: voi a tutte le genti, se da noi altri, vaghi della gloria vostra, vi lascierete disporre a mandar in luce i vostri componimenti, e a tutti li secoli gioverete, dando a vedere un esempio di perfetta vita; col quale risveglierete negli animi di molti desiderio grande

aliis, præter hasce duas, ab eo descriptis constat. Hæ tantummodo tum Francisco Sansovino (13), ac ex eo aliis innotuere; tum vero etiam Ioanni Mariæ

de di rassomigliarsi in qualità, quanto più si possa, a quel singolarissimo signore. Nobile e alto pensiero fu il vostro, quando proponeste di voler scrivere le Vite di dodici de' più notabili gentiluomini, che fiorirono in diversi tempi nella vostra gloriosissima Repubblica, dando loro il paragone di altrettanti de' più lodati stranieri. Lodevole impresa, ma difficile molto la giudicai: e da principio, non conoscendo interamente le forze dell' ingegno vostro, dubitai non doveste reggere alla grandezza del peso. Ora mi rallegro, che l' opera vostra, per quanto già si vede, a desiderato fine riesce. Seguite al rimanente. Più onorato, più di voi degno pensiero non poteva nell' animo cadervi. State sano. Di Venezia, a' XXIIII. *di Febbraro MDLV.*

Valerius quoque Cardinalis in Memoriali ad Aloysium Contarenum, apud Augustinium in præfatione ad opus de Scriptoribus Venetis p. LIV. ait: *Voglio che molte volte riprendiate M. Niccolò Barbarigo, quando non sarà più Podestà di Verona, della sprezzatura, che fa de' suoi scritti, e della poca diligenza, che usa in conservarli e accrescerli, e che l' esortiate a andar innanzi con quelle sue Sinopsi appartenenti a giovani di stato, e andar scrivendo quelle sue Vite, per conservar il possesso, che ha avuto la nostra patria in aver in ogni tempo persone dotte in ogni sorte di lettere.*

(13) *Venezia descritta p.* 281. *ed. Ven.* 1581. Hoc loco multas quoque Orationes Barbadicum post se reliquisse Sansovinus affirmat.

riæ Mazzuchellio ac Serenissimo Principi Marco Fuscareno, viris eruditissimis: quorum hic, licet monumenta nostrorum hominum litteraria diu multumque scrutatus fuerit, in iis tamen ipsis conquirendis se, iuxta ac alios multos, operam frustra posuisse declaravit (14). Contareni quoque Vitam a Barbadico scriptam, eiusque Synopses ad iuvenes de Reipublicæ administratione, a Valerio (15) commemoratas, nec non Orationes multas, quas eundem post se reliquisse Sansovinus (16) affirmat, superstites alicubi fortasse latere, vel hæc eadem Gritti Vita argumento esse potest: quam equidem in codice sæculo decimo sexto pereleganter, minus tamen accurate exaratam, fortunæ beneficio, iampridem possideo. Opellam elegantissimam ut in lucem eruerem,

pro

(14) *Niccolò Barbarigo stese in Latino le Vite del Doge Gritti e di Gasparo Contarini, personaggio anch' egli esercitatosi lungamente negli affari della Repubblica, avanti di essere Cardinale. Ma per molto cercare, che se ne abbia fatto, niuno le ha vedute; benchè la fama, che il Barbarigo godeva, d'eccellente ingegno, abbia destata in parecchi ardente curiosità di rinvenirle.* Hæc Fuscarenus in opere *Della Letteratura Veneziana p. 299.*

(15) In Memoriali ad Aloysium Contarenum, de quo supra.

(16) Loco superius allato.

pro ea, quæ me magnopere tenet, sollicitudine de scriptis virorum ingenio atque doctrina illustrium evulgandis, nunquam non vehementer optavi. Nunc vero demum præclaram, qua id efficiam, occasionem mihi datam esse gaudeo; in communi siquidem civitatis lætitia, atque tanta cum dignitate eam proferre licet, quantam optare par esse poterat. Ad editionis concinnitatem atque ornamentum ne quid omnino desit, numismata quatuor in Gritti honorem cusa ut repræsentarentur curavi, ex museo locupletissimo Iacobi Gradonici Senatoris, qui eorum copiam perhumaniter mihi fecit, desumpta: ac ex iis quidem quod ad initium Vitæ est, Grittum Patavium receptam ingredientem exhibere ut moneam, vix oportet. Sunt vero numismata a me ex omnibus, quæ Gritti videre licuit, selecta; non hæc siquidem tantummodo exstant, cum, Iovita Rapicio teste, etiam in eius effigie coloribus, ære, argento exprimenda suo ipso tempore certatum propemodum fuerit (17).

(17) „ Si qui possunt addere famam rebus artifices, he„ roici illius oris dignitatem, & tot rebus spectati capitis „ honores, alii coloribus, alii ære, atque argento expres„ sisse lætantur". Rapicius in Oratione de Aristocratiæ Venetæ & in ea Principis Andreæ Gritti laudibus, impressa Venetiis anno 1534. in 4.°



ANDREAE GRITTI

PRINCIPIS VENETIARUM

VITA

NICOLAO BARBADICO

AUCTORE.

NATUS est Andreas Grittus Bardolini, qui est in agro Veronenſi pagus, annis a ſalutis noſtræ principio mille quadringentis & quinquaginta quinque, menſe Aprili, Franciſco patre, Traiadani illius filio, qui honoribus ac rerum geſtarum gloria in Veneta Republica maxime floruit; matre Vien-

na e Zannia familia. Cum non multis, postquam natus esset, annis, pater obiisset, puer sub avi custodia relictus, se bonarum litterarum disciplinæ totum dedit, ac ingenii bonitate multa ita celeriter arripuit, ut ea non tum accipere videretur, sed quodammodo reminisci. Ex ephebis cum excessisset, avi hortatu, ad Patavinum gymnasium concessit: & cum in iis artibus, quas qui tenent eruditi appellantur, tantos ibi brevi temporis spatio progressus fecisset, ut cum excellentibus in eo genere hominibus compararetur; in varias orbis terrarum partes, Britanniam, Galliam, Hispaniam, Traiadanum avum, qui eas legatus omnes obiit, sequutus est. Quæ sunt in iis provinciis oppida, urbes, & paullo insigniora loca, quemadmodum suam unusquisque domum, nota habuit, atque omnia, ut erat infinita memoria, ad extremam usque senectutem optime tenuit. Avo iucundus ita comes fuit, ut eum a suo latere nunquam discedere pateretur; ita probatus, ut gravissimis in rebus adolescentis sæpissime consilio uteretur senex.

Mox ad rei maritimæ studia se conferens, more institutoque maiorum, Byzantium profectus est, non solum agendæ privatæ rei, sed & publicæ utilitatis, cui se eo loco potissimum consulere plurimum posse intelligebat, studio ductus. Ibi quantum annuorum vectigalium Regi illi penderetur, quæ ipsius esset in administratione imperii ratio, quæ in rebus bellicis disciplina, quantum classe, quantum terrestribus copiis, tum equitatu, tum peditatu valeret, diligentissime investigavit atque percepit. Nec vero ita diu Byzantii commoratus, Regis consiliariorum, quos ea natio Bassas appellat, Baiasetisque ipsius Regis benevolentiam sibi adiunxit mirum in modum oris ac totius corporis dignitate, qua ce-

teros

teros omnes eius ætatis homines anteibat, & animi magnitudine, ac munificentia. Achmeti Regis genero, qui inter eos principem locum obtinebat, & cuius præcipue unius consiliis Rex omnibus in rebus nitebatur, fuit præter ceteros carus & perquam intimus. Fructus ex negotiatione paucis annis maximos cepit; etenim ad ea, quæ a natura ad res gerendas adiumenta magna ac multa habebat, summa accesserat industria, atque in delectione rerum, quibus maior utilitas facile pararetur, iudicium singulare. Eius vero in opibus commune Italorum hominum, qui Byzantii commorabantur, perfugium erat; nam dabat atque committebat eis negotia, sublevabat omnes vel pecunia, vel fide, quibus poterat rationibus (& poterat plurimis) locupletabat. Turcis etiam ipsis eius res latissime patebant; ut ii cum admirabili illa oris specie capti, tum donis & beneficiis quamplurimis devincti, quem magis aut amarent, aut suspicerent, non haberent. Nummorum, quos Sultaninos vocant, quinque millia uno munere aliquando dedit Achmeti, ut eum, cuius benevolentiam sibi maiorem in modum utilem fore atque honestam existimabat, sibi quasi beneficio emptum penitus obstringeret. Atque is regiam admiratus in privato homine liberalitatem, cum tanti doni caussam quæreret, Grittusque responderet, quod dignissimus ille videretur, cui omnia benevolentiæ & honoris signa tribueret, seque plura daturum, si plura possedisset; Achmetes ad suos conversus, eum qui ita benigne quod haberet largiretur, æquum esse ait habere permulta, quæ largiri posset: itaque portoria Regis, & vectigalia complurima parvo ei pretio locavit; quibus brevi tempore Andreas ita rem auxit, ut & ad largiendum, & ad quoscunque præterea sumptus faciendos in

posterum sibi abunde copiæ suppeterent. Tantum vero Grittus gratia & auctoritate pollebat in aula regia, ut nihil ei fere in mentem veniret optare, quod & Rex & ii qui Regi assidebant non ultro deferrent. Erat Peræ, quod oppidum e regione Byzantii situm est, Genuensis mercatoris mira pulchritudine uxor, quam Grittus perdite amabat. Eius vir apud eos, qui vitæ necisque habebant potestatem, gravissimi criminis factus reus, cum ex his malis alterutrum, quin aut Mahumetum Turcarum Vatem in posterum coleret, aut capite plecteretur, nullo modo posset evitare; suspicabatur omne sibi periculum ab Andrea creari, quod, se remoto, solutiori animo atque liberius uxore cuperet potiri. Hoc ubi Grittus cognovit, Bassas ne quid gravius in eum statuerent obtestatus, opibusque usus, quantæ in eo erant, ut calamitate illa liberaretur, obtinuit. Tumque homine ad se vocato, non negare se, inquit, quin antea uxorem eius, ut mulierem pulcherrimam deperisset; eam vero in posterum, ut uxorem hominis secum amicitia coniuncti amare desiturum sanctissimo iureiurando confirmavit. Quibus obstrictus beneficiis Genuensis perpetuo Grittum in primis dilexit & coluit. Byzantii per aliquot menses moratus, cum patrimonium magnopere Grittus amplificasset, patriæ visendæ studio inductus, ad urbem remigravit, ubi Benedictam e Vendramina familia Lucæ filiam uxorem duxit; qua non multo postquam ei filium peperisset, mortua, abjecta negotiationis studia suscipiens, Byzantium iterum profectus, magnam eo fortunarum suarum partem traiecit: quo in loco, quam sibi apud omnes pepererat, gratiam atque auctoritatem pristina liberalitate ac vivendi ratione retinebat.

Non

Non multis vero post eius ad eam urbem reditum mensibus interiectis, Baiasetus Rex Turcarum, unius ex Bassis, cuius onerariam navem in Ægæo mari Venetæ classis legatus expugnaverat ac depresserat, querelis & cohortationibus inflammatus, bellum in Venetos parare. Ea de re Patres ab Gritto certiores facti ad Baiasetum ab urbe legatum miserunt, qui de Reipublicæ pernicie cogitantem ab eo consilio, qua ratione posset, revocaret. Is vero ab Rege liberaliter exceptus, nullum in eo alienati a Republica animi signum potuit agnoscere; nam barbarus Rex Venetos benevolentiæ & officii specie opprimere incautos atque imparatos constituerat; atque ut ab se omnem hostilis voluntatis suspicionem omnino removeret, fœdus, quod antea inter Mahumetum patrem & Rempublicam ictum fuerat, cum Reipublicæ legato confirmavit: fœderis vero conditiones Italicis ei consignatas litteris tradidit. Andreas, qui gentis mores institutaque optime teneret, legatum docet esse in Turcarum legibus, ut quæ externa lingua scripta consertaque essent, ea præstare non tenerentur: monet igitur, si velit in fœdere vim esse, ut Thraciis conscriptum verbis auferat. Legatus, re frustra sæpius tentata, ad urbem redit, atque ut negotium e Senatus sententia confecisse videretur, fœderis capita Italico scripta sermone ad Patres deferens, quæ de Turcarum instituto monuerat Grittus, consulto supprimit. Interea Byzantii indicto a Rege Reipublicæ bello, Veneti homines, qui ea in urbe negotiabantur, omnes in vincula sunt abrepti. Cum inter Bassas agitaretur quid consilii de uno Andrea capiendum esset, præstanti viro & apud ipsos totamque nationem homine gratiosissimo, omnium unus consensus is fuit, ut quocunque loco vellet commorari, & mercaturam exercere, ac

omnia

omnia reliqua procurare liberum ei esset: de Regis consiliis, de vi belli apparata nihil prorsus indagaret, genere mortis acerbissimo, si quid aut foras enunciasset, aut omnino exquisisset, proposito. Eo Bassarum edicto Grittus minime territus, quem patriæ caritas, & animus ad omnia paratus incitaret, quo classe hostes, quo terrestribus copiis impetum facturi essent, quo tempore, quo numero militum, incredibili sagacitate investigavit: quæ ut ad urbem commodius perferrentur, Ioannem Maurum, qui Naupacti magistratum Reipublicæ nomine gerebat, per litteras iis de rebus certiorem facit. Hæ litteræ sunt a regiis ministris interceptæ: qui, quod omnia Gritto percuperent, rem occultaverunt, hominem obtestati ut ab incepto desisteret; cum summos ei, si quis eius factum casus denuo patefecisset, impendere cruciatus ostenderent. Hoc demum periculo admonitus, Mauro Naupacti Præfecto significavit quid accidisset: ne quid ab eo de his rebus, quas intercipi periculosum esset, deinde requireret, obsecravit: patriam sibi esse rerum omnium antiquissimam: ubi posse suis civibus consulere videretur, iis se, quovis proposito periculo, non defuturum. Maurus, ad quem de Turcicis apparatibus incerta omnia aliunde afferrentur, neque iam Patres, quos mirifica earum rerum expectatione angi intelligeret, commonefacere, uti consueverat, ulla de re posset; per litteras ab Andrea summe cœpit contendere, & cupidius instare ut pristinum significandi renovaret institutum. Quibus litteris cum nihil proficeret, quod non esset ignarus Grittus impendentium malorum, si quo iterum casu proderetur; Maurus animum omnino induxit de Turcarum rebus aliquid ab eo vel invito exprimere. Græco homini familiari suo, prompto ad omnia

au-

audenda, negotium dat, Grittum adeat, prius oret atque obtestetur: si litteras ea ratione elicere nullas possit, se ad Regem delaturum interminetur quod is occulta Bassarum consilia Venetis antea aperuerit: hoc ad mandatum addit, ne Naupactum (erat autem hominis patria) re infecta redeat. Græcus negotium suscipit. Byzantium profectus, denunciatione periculi, de proposito Andream dimovit, & ab eo de actis omnibus litteras ad Naupacti magistratum notis ad tesserarum rationem conscriptas abstulit. Grittum autem movit ea res maxime, quod committere nolebat ut aliqua de re Bassis suspicio iniiceretur; cum intelligeret id esse Turcis ingenii, ut satis sibi esse caussæ ad condemnandum existiment, si qui accuset non desit. Græcus in reditu a Turcarum Ala Præfecto comprehensus, quæstione habita, a quo missus esset, unde rediret, quid afferret, confessus est. Præfectus cum foret Gritto infensus, quod ei cum uxore sua consuetudinem olim fuisse suspicatus esset, rem ad Achmetem, cuius ad iudicium summa rerum omnium redibat, continuo detulit. Graviter is acerbeque tulit in eum se locum adductum esse, ut aut in hominem arctissima sibi necessitudine coniunctum animadvertere, aut crimen tam grave negligere, maximo etiam sui capitis discrimine, si neglectum Regi palam factum esset, cogeretur. Nullo adduci modo poterat, quin homini amicissimo parceret: id ut quam minimo suo periculo fieret laborabat, & iudicium sustinebat. Accusator aderat, instabat, urgebat: sed cum de Achmetis in Andream benevolentia a multis audiret, facileque futurum intelligeret ut sibi occultis insidiis, quominus rem proderet, vita eriperetur; ad Regem, qui tum aberat, magnis itineribus profectus, totum ei factum aperit, nullas adhuc pœ-

nas

nas reum persolvisse, esse incolumen atque florentem, sedere etiam, ut consueverat, ad latus Achmetis demonstrat.

Redibat Byzantium Rex, Achmeti eo nomine graviter iratus: quod ubi ille ex iis qui apud Regem erant rescivit, meditatus obviam Regi longe processit, primoque sermone maiestatis ad se crimen de Gritto Veneto homine, qui apud eos negotiaretur, aliquot ante diebus esse delatum ostendit: se, quod res non minima sibi digna animadversione visa esset, integram in eius adventum reservasse. Probare visus est Achmetis consilium Rex, Andream autem, ut Byzantium venit, pali supplicio, quo gravioris culpæ damnatos reos afficere Turcarum consuetudinis est, nulla mora interposita, destinavit. Achmetes, quod neque precibus perturbatum Regis animum leniri, neque inficiendo crimen tolli, quod Græci internuntii intercepti confessione teneretur, posse confideret; ut ad fœdam miseramque mortem homo sibi amicissimus atque omni virtute ornatissimus mitteretur, rem non modo existimabat indignam, verum etiam ut sibi maxime molestam iniquissimo animo patiebatur. Callidum tandem init consilium, sibi minime periculosum, reo maxime salutare; ut Regem, quem ad clementiam converti nulla posse ratione intelligebat, utilitatis obiecta spe, ab acerba sententia dimoveat. Gritti apud eum verbis magnopere crimen auget, supplicioque in ipsum constituto, atque etiam graviori dignum esse, quod habitus in amicissimi hominis loco, & plurimorum commodorum factus particeps, monitus præterea ne publica consilia investigaret, tam insigni regiam maiestatem læsisset iniuria: non esse igitur committendum ut illi ignosceretur. Se tamen monere cum Venetis, terra marique præpotentibus hostibus, bellum geri: bellorum even-

tus,

tus, quod a fortuna plerumque regantur, esse varios ac incertos: Grittum Veneta in Republica esse nobilissima ortum familia, cognatione & amicitiis florentissimum: si, quod Dii omen averterent, quid gravius in bello Turcarum rebus accidisset, hominem iis temporibus reservatum maximo regiis rationibus futurum emolumento: hostibus vero, ut optabat maxime & sperabat, superatis, tum minime eripi facultatem quominus is pœnas quam vellet acerbas, commissoque scelere dignas persolveret: interea in vinculis, omnium in rerum difficultate, diligentissime asservandum. Multa addidit, quibus Regi persuasit ut constitutum supplicium differret: quod in caussa satis probabili homini ingenioso, cui summa fides habebatur, facile fuit. Intelligebat autem Achmetes, si eam Andreas temporis procellam devitasset, rationem postea, qua eius saluti subveniret, sibi minime defuturam. Iussu Regis Grittus in vincula coniectus, mercium fortunarumque omnium, quas amplas habebat atque florentes, iacturam fecit.

Fama de ipsius periculo cum in vulgus iam emanasset, multitudinem tantam commoverat, ut eum omnium ordinum homines ad viginti fere millia flentes, & eandem fortunam subire non recusantes, ad carcerem prosequerentur: alii eum hominem, a quo beneficiis essent affecti quamplurimis, ad miseram proripi servitutem moleste ferebant: movebat alios vehementer rerum humanarum imbecillitas atque inconstantia, cum eum, quem opibus, honore, gratia paullo ante apud omnes omnia posse perspexerant, in eam calamitatem ita repente viderent esse depulsum. Quamvis autem eam in se ille conferri culpam intelligeret, qua nulla ei, qui in ipsum animadversurus esset, humanissimo homini, gravior videri posset; tamen

ceteros, qui in vinculis detinebantur, quibus multo levior calamitas impendebat, non oratione sua magis, quam constantia & firmitudine animi, confirmabat. Amici interea & familiares intimi, qui prohiberentur adire, mœrentes totos dies iacebant ad custodiæ limina; & pleræque mulieres pulcherrimæ, quæ hominis amore & desiderio flagrarent, ab eius complexu exclusæ, lacrymantes pernoctabant ad ostium carceris. Achmetes ut primum eum custodiæ traditum vidit, Græcum hominem cum litteris interceptum de medio tolli, ut culpæ socium curavit, hoc consilio, quod eo sublato, cuius unius testimonio crimen tenebatur, redargui postea Andream, si negaret, minime posse intelligebat. Menses triginta duos, quibus bellum terra marique cum Venetis gestum est, Grittus in turri ad fretum, vinculis adstrictus, miserrimo vitæ genere, durissima quæque sustinuerat; cum forte accidit ut Byzantii regium navale fulmine tactum conflagraret; nocteque incendium est consequuta fama, in quiete visum a Rege nescio quem, qui ei calamitatem illam accidisse nunciaret, quod Venetum hominem, quem manu tenens indicabat, divina virum virtute præditum, Deoque carissimum, carcere inclusum asservaret; Deumque ipsum eo casu non tam pœnas ab eo repetisse, quam acerbissimas clades atque pericula in posterum portendere, nisi hominem libertati illico restitueret: Regem somnio territum, mane ad se quicunque custodiebantur venire iussisse, Grittum ab eo agnitum, ac subito ut dimitteretur imperatum. Audita Byzantii, & percelebrata hominum sermonibus eo tempore res hæc erat; cui quantum fidei sit adhibendum, viderint alii. Illud quidem certum est, eo die, qui navalis conflagrationem est subsequutus, Andream e carcere emis-

emissum esse; cum nihil præterea inter id tempus accidisset, quo Regem adductum homines existimarent ut Gritto libertatem concederet. Neque a vero abhorret opinio, cum somnia divinitus plerumque contingere litteris sapientissimi vates mandarint; & nos ipsi ex iis quæ dormientium quotidie prospiciunt animi, facile possimus coniicere Deum optimum maximum, cui Veneta Respublica semper curæ fuit, cum quæ in eam collaturus esset Andreas ornamenta atque beneficia prospiceret, Regem ea denunciatione ad eum liberandum impulisse, ne tot ac tanta præstantissimi hominis merita eo fortunæ incommodo impedirentur. Fuit hic dies universæ Turcarum nationi lætissimus; hominumque gratulantium ad Andream factus concursus undique fuit. Is vero cum brevi eundem apud Regem, quem antea obtinebat, dignitatis & gratiæ locum recuperasset, eum quo voluit uno sermone perduxit sic, ut a quo Veneti, ut arma atque hostilem voluntatem deponeret, plurimis missis legatis, impetrare antea nulla conditione potuerant; is cum Gritti opera atque consiliis ad studium pacis traductus, & Reipublicæ conciliatus, plurimum de suo iure decederet. Pacis interpres Andreas ab eo missus ad urbem, & incredibili totius civitatis lætitia exceptus, Patres de Baiaseti egregia in Rempublicam voluntate certiores fecit, & ab Achmete ad eos litteras attulit, Byzantium aliquem ad pacis conditiones tractandas si mitterent, Regem ab æquitate non recessurum.

Dum agitarentur hæc, a Benedicto Pisauro classis Venetæ Præfecto in Thessalonico, atque in Ægæo mari damna plurima Turcarum rebus illata sunt. Hoc factum graviter tulit Rex: & cum de sua ad pacem propensione Pisaurus fieri certior interea potuisse videretur, fidem a Venetis spe-

cie tractandæ pacis violatam querebatur, quemque erga eos animum susceperat, pene totum abiecit. Quod nisi in eam mentem Pisauri factum impulisset; ea pax existebat, qua nulla unquam utilior, aut honorificentior esse Reipublicæ potuisset. Interim Zacharia Fresco Decemvirum collegii a secretis, qui de pacis conditionibus ageret, a Senatu Byzantium misso, Rex quæ pollicitus fuerat ita non præstitit, ut pacem tamen eam faceret, quæ satis Reipublicæ rationibus conducere videretur: quo nomine Patres, ut Diis immortalibus honores haberentur, & sacerdotum collegiis egestate laborantibus ex ærario pecuniæ distribuerentur, censuerunt. Grittum interea passim omnes optime de Republica meritum civem, eius opera bellum periculosum ac diuturnum præter spem omnium restinctum, ipsum honoribus omnibus dignissimum prædicabant. Baiaseti legato, qui ut Patrum iureiurando interesset, ad urbem venerat, Byzantium redeunte, Senatus iussu, cum eo ad Regem legatus profectus est: cuius adventu Baiasetus ab iracundia ad hilaritatem & lenitatem aliqua ex parte revocatus, pacis capita multo maiori cum Reipublicæ dignitate atque emolumento revocavit, cum suam iniuriam se hominis sibi carissimi voluntati precibusque diceret condonare. Ex ea legatione ut Venetias rediit, urbanos magistratus, qui in Republica habentur amplissimi, impetravit omnes, & facillime gessit eximia cum laude. Patavium Prætor est missus, & in ea prætura Francisco spectatæ adolescentiæ filio, &, quod magis dolorem augere poterat, unico orbatus est: quo casu minime perturbatus, cum se Prætorem simul & patrem esse meminisset, animum a domesticis curis ad publicum munus abduxit, & unicuique quacunque de re veniret, quo ipso die est ei de filii obitu

re-

renunciatum, eius domus atque aures, ex superiorum dierum consuetudine, patebant. Non multo postquam e prætura in patriam rediisset, Iulio eius nominis II. ad maximum Pontificatum evecto, cum ex Sexviris esset, qui Principi assident, Romam cum septem amplissimis totius civitatis viris a Senatu missus est.

Turcarum tumultibus sedatis, nulla in orbe terrarum gens supererat, quæ non aut Venetorum imperio atque amplitudine lætaretur, aut non esset ita parata, ut quiesceret. In ea pace ac tranquillitate cum aliquot annos Respublica floruisset, subitum adversus eam bellum erupit; quod ab hostibus ut inique illatum, ita etiam infeliciter gestum est. Nam Cæsar Maximilianus, quod a Patribus ut se suumque exercitum contra Gallorum Regem, quocum ii fœdus inierant, proficiscentem per Reipublicæ fines iter facere paterentur, impetrare non potuisset; Germanos ut in Venetorum ditionem invaderent, concitavit, omnibusque plane bellicis opibus & apparatibus instruxit. Legatus Andreas ob id bellum lectus est. Sunt autem Legati apud Venetos e patricio ordine duo viri, Imperatori, qui de gente peregrina semper eligitur, ut eorum consilio quæ ad bellum pertinent administret, socii attributi: duobus aliquando, si res postulat, tertius additur: iis invitis, aut inconsultis, Imperatori quicquam agere, decernereve, quod alicuius momenti sit, non licet: præcipuum vero munus eorum est publicam pecuniam, quæ exercitui in stipendium persolvenda est, tractare, rem frumentariam expedire, quæque in bello gerantur cognoscere, & de iis Patres certiores facere: si quem habeant usum in re militari, rem ipsi plerumque suo ductu gerunt, absente præsertim Imperatore. Itaque Grittus quoties-

cunque

cunque hoc ei munus delatum fuit, summo semper Reipublicæ usui fuit. Tum se obiiciens hostibus, eos non solum a progressu arcuit; sed in eorum fines irrumpens, agris vastatis, oppidis captis, magna barbarorum hominum cæde facta, Reipublicæ iniurias quantum satis esset ultus est. Ita Maximilianus a suo consilio atque impetu abstractus, qui ultro ac nulla lacessitus iniuria bellum intulerat Venetis, primo ad inducias, mox ad pacis petitionem animum traduxit. Senatus, qui bellum sponte non susceperat, id quod animo proposuerat assequutus, Cæsaris de armis deponendis postulata non reiecit. Zachariæ Contareno, ut de induciarum conditionibus transigeret, a Patribus legato præsto fuit Andreas, negotiumque satis perplexum ac diuturnæ deliberationis suis consiliis celeriter explicavit. Induciis summa Reipublicæ dignitate firmatis, Ioannem Iacobum Triultium, Gallici exercitus Imperatorem, qui Venetis auxilio venerat, Mediolanum redeuntem per omnes Reipublicæ fines Patrum decreto comitatus, ut prius in bello singulari scientia rei militaris atque virtute in summam sui admirationem hominem adduxerat; ita suavitate morum, & præstantia sermonis atque ingenii, eo in itinere sibi illius mirifice conciliavit benevolentiam; ut discedens nihil nisi de Gritto Triultius loqueretur, omniaque eius non facta solum, sed etiam dicta & optime meminisset, & commemoraret libentissime.

Sequutum est fœdus illud apud Cameracum Belgarum oppidum, quo totius propemodum Europæ Reges atque Principes, Veneti imperii diuturnitatis & amplitudinis invidia, finiumque in Italia propagandorum cupiditate, conspirarunt. Ad eorum impetus propulsandos Patres, copiis celeriter comparatis, Legatum Andream summo consensu præfecerunt,

Geor-

Georgio Cornelio collega. Haud ita multo post eorum ex urbe discessum cum Marcus Antonius Maurocenus templi Sancti Marci Procurator decessisset; honor is, qui in nostra Republica a Principatu habetur amplissimus, maioribus comitiis absenti tributus est. Pervenerant Legati ad flumen Abduam cum exercitu, Treviumque oppidum in itinere, quod militum ex optimo Gallorum genere bis mille præsidio tenebatur, in conspectu Gallici exercitus captum diripuerant, atque incenderant. Relictis centurionibus, cum se plurimi domum contulissent, Aloysius Gallorum Rex, cuius animus iamdudum ad oppidi incommodum ulciscendum arderet, illa occasione, ad eos qui remanserant, opprimendos, sibi utendum ratus, antequam qui profugissent ad signa redirent; coactis copiis omnibus, quas per totam hiemem conscripserat, Mediolano discedens, loco ad Abduam traiiciendum maxime opportuno castra posuit. Tamen neque militum multitudo, neque multus militibus animus deerat; ut Regi, cum & nostrorum numerum ex loco edito conspicatus esset, & eorum ad pugnam ineundam alacritatem de captivis accepisset, deliberatum esset suas exercitusque fortunas in dubium non devocare; sed ad Legatos Venetos mittere, qui significarent se ab armorum consilio abhorrere, velleque cum Republica amicitiam, & cum ea percussum iam fœdus renovare: quam rem cum ducum suorum consilio in alium diem distulisset, iidem postea nequaquam ad eius dignitatem pertinere de pace agere, & ut bello fortuna tentaretur, persuaserunt. Cornelius alter Legatus interea Brixiam ob valetudinem concesserat, bellumque, & rerum omnium administratio in Andream recumbebat. Is, cum noster exercitus esset eiusmodi loco, ex quo omnibus Venetæ ditionis

op-

oppidis, ne a Reipublicæ amicitia deficerent, una tantarum copiarum fama prospici facile posset, a pugna censebat abstinendum: neque enim Gallorum hoc esse proprium ignorabat, ut quemadmodum sustineri primo impetu vix aut vix quidem sæpe possunt; ita spatio interposito, quod ad labores tolerandos infirmi mollesque sint, debilitentur maxime, & elanguescant. Accedebat autem ut & re frumentaria laborarent, & facile possent in posterum omnibus intercludi. Itaque esse e Republica sentiebat eos per aliquot dies excludi, cum interea sui ad pugnandum allici non possent inviti: futurum vero ut Galli mora, impatientia, ac inedia victi traiicere iterum flumen cogerentur, atque ita Respublica sine sanguine victoria potiretur: quod si exercitu cedentes insequeretur, non esse dubium, quin cuncta oppida hostium, quæ in ea regione finitima Venetis essent, una auctoritate, quam essent ex victoria consequuti sub Venetorum redigeret potestatem. Sentiebat idem Nicolaus Ursinus, Palatinus princeps, Venetarum copiarum Imperator: quæ si sententia valuisset, Respublica non eas in clades, quas postea subiit, incidisset. Erat autem exercitus administrator, qui apud Venetos in re militari secundus ab Imperatore locus est, Bartholomæus Livianus, dux sane clarus, multisque bellicis virtutibus excellens: sed vir nobilis ad omnem ferme impetum animo cuiuscunque insitam temeritatem prosperis aliquot rerum successibus aluerat. Is pugnæ committendæ studio ardens, salutaribus consiliis abiectis, Imperatorem ad confligendum cohortationibus, conviciisque etiam invitum impulit; ac militibus signo dato, ipse animo rei bene gerendæ fiduciæ pleno effrænatus in hostes irrupit. Pridie idus Maias, annis a Christo nato mille & novem supra quingen-

tos

tos, prælium commiſſum eſt: quo partim equitum ignavia, partim ducum aliquorum perfidia, qui Gallicis partibus favebant, partim fortuna, aut Deorum fortaſſe immortalium conſilio, qui quam dubia rerum humanarum eſſet poſſeſſio, iis qui id non plane callent, mortalibus & eo caſu declarare voluerunt, magnum illud Reſpublica vulnus accepit. Eo funeſto die mirabiliter Andreæ virtus eluxit; nam omnia & in prælio, multis indictis, & in appellandis cohortandiſque militibus, Imperatoris officia præſtitit. Imperatorium vexillum tutatus, in hoſtium manus venire paſſus non eſt: quod adhuc in Gemellorum templo, Divi Marci imagine, qua Veneta Reſpublica uti conſuevit, inſigni vetuſtate prope abſumptum conſpicitur.

Tanto bello quaſſata Reſpublica, tot ac tanta deinceps perdidit & ornamenta dignitatis & præſidia ſtabilitatis ſuæ, ut poſſent eius calamitates hoſtis animum exſaturare quantum vellet: quo quidem tempore Italia omnis ingemuit, planeque nemo fuit, qui alienas a ſe miſerias eius urbis arbitraretur, quæ omnium nobiliſſimæ provinciæ libertatem, tyrannorum iniquis dominationibus oppreſſam, ſolum ſuis opibus ſublevaverat, integramque tot per annos ac incorruptam imperii auctoritatem ſola ſervarat. In ea temporum atrocitate Andreas non animo fracto, non infirma virtute fuit: labentes confirmavit militum animos, & proſternatas timore Patrum mentes ad ſpem recuperandæ priſtinæ dignitatis erexit: ac, ut ducum reliquorum minuitur adverſis rerum eventibus auctoritas; contra exercitus de ipſo opinionem accepta calamitas auxerat, quod milites plus eum ceteris animo prævidiſſe cognoſcebant, qui ſemper a prælio continendum, exploratæque victoriæ dubium eventum minime præponendum

iudicasset. Tarvisium, quod unum oppidum ex tanto imperio in citeriori Gallia, atque in Venetiis ipsis reliquum fortuna Venetis esse voluerat, summa virtute in potestate Reipublicæ tenuit. Mox, adducta copiarum parte, quæ Tarvisium sese contulerat, collectisque reliquiis, quæ in oppido Menstræ erant, quod oppidum ab urbe haud amplius quatuor millibus passuum abest; communicato tantum cum Imperatore consilio, noctu celeriter confecto itinere, copias prope Patavium adduxit, atque oppidum eodem, quo in Venetorum fidem ac potestatem primum venerat, die recuperavit. Hic dies fuit ad XVI. kal. Sextilis, qui solemnis adhuc habetur, & quadam lætitiæ renovatione duplici nomine celebratur. Usus est ea in re opera egregie fideli Saccardi Soncini Patavini civis, qui fœni carros ad urbis portam duci curaverat, atque rota una ex iis, dum in ipso limine portæ esset, ex composito fracta, moram, ne clauderetur, attulerat: quo Venetus exercitus ad oppidum adduci spatio temporis potuit. Hostium aliis obtruncatis, aliisque captis, Grittus oppidanorum est lætis vocibus exceptus; quibus summæ voluptati fuit se ab eo potissimum Legato recipi, qui oppidum Prætor non multo ante singulari continentia gubernarat. Milites ut a bonorum direptione revocaret, ipse tota nocte oppidum cum suo comitatu perambulavit; neque, præter Iudæorum, qui fœnerabantur, paucorumque præterea aliquot civium, quorum de sententia maxime descitum a Republica constabat, ut domus depopularentur, permisit.

Patavio recepta, cum magnæ hostium manus pluribus in locis ad eam urbem obsidendam coirent, commeatum importandum curavit, & quamcunque res curam aut operam exegit, vigilantissime confecit. Late iam ipsius virtutis fa-

ma

ma per Italiam manaverat: qua nominis celebritate, atque etiam Venetæ libertatis, in qua totius Italiæ dignitas agebatur, tuendæ studio commoti homines ex Benaci ripa vallibusque quingenti, ac ceteris ex Italiæ civitatibus spectatæ fortitudinis veterani milites, qui ordines singuli duxerant, prope mille, ut Venetis operam locarent, ad eum sponte Patavium se contulerunt, ea conditione ut unius Legati imperio, præterea nemini, obtemperarent. Eorum opera Grittus forti admodum ac fideli (sic casus ac fortuna tulit) in posterum usus est. At inter hos bellicos apparatus certior factus Franciscum Mantuanorum Principem, quem Maximilianus equitatui præfecerat, Verona se cum equitibus sexcentis Mantuam referre; duabus, nulla interposita mora, e suo exercitu præmissis cohortibus, eum militesque quicunque sequebantur, præda ingenti facta, ad insulam Scalæ intercepit: cuius præsentia in illis molestiis atque angoribus lætissimo Venetis civibus spectaculo cunctis fuit. Maximiliani Patavio appropinquabat exercitus, eratque, quod Iulii Pontificis Maximi, Aloysii Gallorum Regis, Alfonsi Ferrariensium Ducis, multorumque Principum copiæ accesserant, specie ornatissimus, gente firmissimus, numero ita amplus, ut octuaginta hominum millia excessisse a patribus accepimus: nec erat omnium quisque, qui aspectum modo tantæ multitudinis sustineri posse arbitraretur. Patavium eo tempore non erat huiusmodi, ut multum in mœnibus esset præsidii: quod oppidum postea Patres, illorum temporum calamitate docti, muniendum maximo sumptu curaverunt. Unde milites scriberentur, Senatui amplius non suppetebat; nam & urbanam plebem, & omnium fere navalium operas præsidio miserant. Castra ad oppidum posuit Maximilianus. Milites eius, quod

ANTONIANUM COLL. UNIV. BIBL.

res in conſpectu Cæſaris gerebantur, nihil expectandum existimarunt, iamque tormentorum vi oppidum maiori mœnium parte nudaverant. Magnis interea pollicitationibus oppidanos, ut a Republica deficerent, ſollicitare Cæſar non deſinebat. Præſidiarii milites numero hoſtium territi; quippe qui multis in locis aditum verberationibus patefactum cernebant; oppidi tuendi ſpem omnem prope abiecerant. Andreas reficere quæ conciderant, aggeres exſtruere, ne nocturnis quidem temporibus ad laborem intermiſſis, non deſiſtebat: ſed quod earum rerum perficiendarum neque tempus, neque facultas daretur, ſuorum ille animos eiuſmodi oratione confirmabat: in qua præter eos ſcribere limites alicui fortaſſe videar, intra quos ſit is, qui alicuius mores & vitam tantummodo aperiendam conſtituat. Tamen cum a pleriſque qui interfuerunt, quibus habita verbis eſt, iiſdem prope fuerit ad me delata, prætereundam non exiſtimavi: nam præterquam quod ex ea hominis eloquentia, quæ non obſcura pars eſt ingenii, facile poterit apparere; præclara illa Patavii defenſio, in qua totius imperii recuperationem poſitam fuiſſe nemo negat, cum ab eius virtute ac diligentia, tum ab hac ipſa oratione magna ex parte fluxit.

Suos igitur hortari ille, ut magis in armis, mœnium, quam in mœnibus, defenſorum ſalutem poſitam exiſtimarent: putarent autem ipſius Reipublicæ, atque adeo totius Italiæ libertatem eo tempore, non Patavium tantummodo, oppugnari: quo ſi oppido Veneti ſpoliarentur, ecquid iis tandem ſpei ſupereſſet terreſtris imperii recuperandi? quibus iam nullus in continenti eſſet locus, & amiſſæ ipſæ civitates, Reipublicæ præſidio diffiſæ, nihil erga ſe ſtudii declarare amplius auderent; atque etiam in tanta rerum pertur-

ba-

batione, tot ac tantis Principibus ad Reipublicæ interitum conspirantibus, terrestri omni ditione, ac vectigalibus amissis, sine quibus neque imperia servari, nec sustentari bella possint. Si oppidum urbi ita propinquum hostes sub sua redigerent potestate; de urbe ipsa imperii sede ac domicilio timendum esse. Venetæ vero Reipublicæ non, quod reliquis civitatibus, periculum impendere. Non enim id propositum hostibus, ut eam imperio suo subiiciant, sed ut eruant penitus atque excidant; quandoquidem optime noverint Venetos neque servire velle, neque, si quid de eorum libertate fortunæ iniuria diminutum sit, diu in servitutis conditione victuros; esse enim natos ad imperandum, atque ita a maioribus institutos ut aut imperent, aut omnino non vivant. Verum Reipublicæ statu afflicto ac debilitato, nullos, qui iacentem Italiæ dignitatem sublevarent, esse reliquos; rem porro ipsam militarem, atque Italicæ virtutis vim omnem cum ipso Veneto imperio necessario interituram. Etenim quo se fortes viri recipient, quis eos alet, quis ad exercitus regendos vocabitur? Nec a Pontifice Maximo, aut a reliquis Italiæ Principibus ea expectanda, quorum arma in eos conversa videant; quippe barbaris ipsis, quos furore atque amentia impulsi ad Venetorum perniciem evocarunt, si ab iis Veneti (quod Dii omen avertant) opprimantur, prædæ futuri essent. Ergo eos, quos contingere prope nefas esset, Gallos atque Hispanos viri geniti in Italia, & priscæ virtutis memores sua in provincia sibi esse dominos patientur, & ante portam, rei militaris gloriam, & libertatem, quam a maioribus acceperunt, tanta cum ignominia eripi? Se profecto existimare neminem esse ex iis, quos intueretur, cui non millies mori potius propositum

esset,

esset, quam ea videre & perpeti. Enimvero habendam ab his esse fortunæ gratiam, quæ tempus obtulisset, ut id ne accideret, in ipsorum potissimum virtute positum esset. Præterquam quod autem Patavio per eos conservato, Italiæ splendorem ac libertatem una conservatam iri intelligerent; iis Venetam Rempublicam, cuius in eiusmodi occasione omnis fortuna disceptaretur, rebus pacatis, quæ meruissent, præmia universis cumulate persoluturam. Adesse Venetos fere ducentos patricii ordinis adolescentes, qui uniuscuiusque laborum ac rerum gestarum in bello spectatores, atque tres, cum in patriam rediissent, iudices futuri essent; neque iis præsentibus, ullum egregie factum latere posse, neque superstitibus, remuneratione fraudari. Hostium numero cur moverentur, non esse: mixtum enim eum esse exercitum ex colluvione cuiusque generis hominum, quibus non lex, non habitus, non arma, non ritus, non Dii fere ipsi communes essent: nullum inter eos ordinem esse, nullum imperium certum: quoque consilio uti nemini, neque suos moderandi, neque etiam moderandi esse potestatem: brevi seditionem aut inter milites, aut inter duces esse proculdubio expectandam: maximam præterea hostium partem convenisse sine stipendio, inani quadam spe ac temeritate ductam: esse homines labori insuetos, & ad incommoda perferenda maxime imbecilles; ut non sint diutius in oppugnatione permansuri: denique Reges ipsos auctores belli alterum alterius amplitudinem invidere, & eam augeri nolle, atque ob eam caussam ex iis nonnullos ad eam oppugnationem ægre venisse, neque oppidum sub Maximiliani ditionem, si id nullo incommodo possent, redacturos. Cur igitur aut ab iis, qui nocere nollent, quicquam timendum; aut ignavos viri for-

tes,

tes, dissentientes coniuncti, barbaros Itali, pro libertate & pro Italici nominis gloria pugnantes, eos, quibus esset unius oppidi expugnatio tantummodo proposita, non a se repelli, aut ad oppugnationem deserendam cogi posse non confiderent? Patavio vero conservata, totum Venetæ Reipublicæ amissum Imperium recuperatum iri pro certo haberent: civitatibus enim, quæ ereptæ essent, crudeliter atque avare ab hostibus esse imperatum: tædere eas barbarorum hominum libidinis: nullum vero imperium, quod invitæ gentes paterentur, posse idem esse diuturnum: eas iam sua sponte suoque iudicio excitatas, si, ubi receptæ fuerint, præsidium sibi in Venetis esse senserint, per se iniustam servitutem, quam iis hostes imposuerant, a se illico depulsuras. Ergo dum speraret adhuc, & aliquid virium Respublica retineret, eam ne desererent; atque iis illud in animo infixum esset, nisi tunc eius saluti subvenirent, tempus, quo id facere possent, nullum postea reliquum fore: aut per eos, aut non per alios, suum illi Italiæque universæ decus & dignitatem posse restitui.

Hac oratione milites iam rebus Venetis diffidentes optima spe complevit, atque iis tantam alacritatem & urbis tuendæ studium iniecit, ut labores in posterum non modo non recusarent, verum etiam ultro deposcerent. Hostium conatibus corpora fortissime opponentes, eorum impetus magna cum clade repulerunt: crebris item diurnis atque nocturnis eruptionibus magnum eorum numerum conciderunt, captis multis, & in oppidum perductis: vigiliis præterea totam noctem fatigando, & plerisque aliis conflictantes incommodis, ita debilitaverunt; ut oppido per duos menses obsesso, formidabilis ille e totius prope bellicosarum nationum

flore

flore exercitus, re infecta, se in tutum recipere cogeretur. Magna res illa visa est: fuit omnium pene gentium sermone atque litteris magnopere celebrata. Tunc Ioannes Cotta Veronensis, eleganti vir ingenio, Atlantis imaginem, cuius humeris cœlum nitebatur, ascriptis SVSTINET NEC FATISCIT, Andreæ, ut insigne, quo deinceps uteretur, dono misit. Oppido servato, Andreas litteris publice scriptis cum ducentis illis patriciis adolescentibus omnem rei prospere gestæ laudem communicavit: quo facile indicavit eos potissimum alienæ gloriæ favere, qui virtuti confiderent suæ. Sublatis a Maximiliano castris, Alfonsi Ferrariensium Ducis copias cum impedimentis redeuntes, levissimis equitibus, qui subsequerentur, emissis, ad castellum Bovolentam, quod Patavio duodecim circiter millia passuum abest, magna ex parte concidit: reliquos cum centurione, qui castellum tuebatur, & equitum præfecto captivos fecit: quam e castello frumenti vim, ceterarumque rerum commeatum equites exportaverant, Andreas Patavii tenuioribus hominibus dividi iussit.

Harum rerum ab Andrea gestarum magnitudine in spem totius imperii recuperandi Patres erecti, ut ad Vicentiam aggrediendam, Patavii oppugnatione ab hostibus vix relicta, proficisceretur, censuerant. Eam oppugnare cum instituisset, non multis diebus potitus est; missis a civibus ex oppido legatis, qui significarent eos se suaque omnia Reipublicæ potestati permittere. Germanos milites, qui præsidio erant, aureo nummo in quenquam in viaticum donato, libere dimisit; a suis militibus neminem ingredi passus, ne quod oppido incommodum inferretur. Capta Vicentia, ad Veronam recuperandam animum adiecit. Suavio oppido ci-

vitati

vitati propinquo prius recepto, magna hostium manu cæsa, plurimis captis, urbem obsidione cinxit. Præliis levibus utebatur secundissimis: pabuli copia hostes, qua magnopere indigebant, intercluserat; in Reipublicæ ditionem redacturus, nisi a victoria eorum, qui classem in Pado amiserant, minus commode gesta revocassent. Eo quidem præcipue tempore in quælibet pericula se inferens, nullum ex arduis laboribus reformidavit, nullum quantumvis humilem parum se dignum duxit; ut & nihil prope, præter auctoritatem, in exercitu habere videretur. Iucundissimum exercitui spectaculum erat universo, terram sui manibus fodere Legatum Venetum, & eundem cum militibus panem edere, more omnium in solo iacere, ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquere, atque omnia cum ceteris militari labore tolerare.

Mortuo Ursino Imperatore, cum de eo, qui summæ rei præesset, legendo in Senatu ageretur, a magna Patrum parte Andreæ is honos deferebatur; qui tamen est in Veneta Republica patricii ordinis hominibus lege interdictus: quod eo consilio factum est, ne cui ad magnam præter ceteros in Republica potentiam comparandam quasi via hac ratione muniretur. Viderant enim maiores nostri eos, qui militiæ gradus essent adepti, cum armis plurimum possent, & eorum qui ipsis stipendia fecissent, magnum numerum circa se haberent, rerum novarum cupidos futuros; quod eo sint fere homines ignari, ut, cum ea quæ velint se videant facile consequuturos, ea velint sæpissime quæ non liceant. Qua re una fortasse multæ præclare alioquin constitutæ Respublicæ lapsæ sunt, atque inter has Romana illa terrarum & gentium domina; quæ cum ab externis hostibus

vinci minime potuisset, a propriis perculsa civibus afflictaque corruit. Propterea veteres illi Venetarum legum conditores in Republica satius esse statuerunt imperii summam, ceteraque terrestris militiæ munera externis hominibus committere, quam cives suos ad Reipublicæ perniciem auctoritate publica armare. Grittum tamen maiores nostri eum existimarunt, in quo ornando, si a consuetudine atque legibus recederetur, nullum Respublica periculum videretur aditura; cum in eo probitatem & virtutem esse præcipuam viderent. Andreas ubi Patrum consilium acceperat, per litteras de egregia eorum in se voluntate maximas, ut debuit, gratias egit: monuit tamen esse in exercitu multos bello claros ac præstantes viros, Reique publicæ amantissimos, quibus & committi tuto, & tribui merito totius exercitus imperium posset: eos hac una spe omnia pro Republica pericula forti & alacri animo ad id tempus excepisse: eam si Patres adimerent, translato ad Venetos patricios imperio militiæ, futurum ut & eorum studia restinguerent, & virtutem omnino debilitarent: sibi tam benevoli gratique animi significationem factam satis esse: neque vero eius honoris, cuius nomen recusaret, onera atque labores se non semper libentissime subiturum. His litteris recitatis, Patrum quorundam consilium est immutatum: perstiterunt tamen in sententia plurimi, ut quoties de Imperatore creando verba in Senatu fierent, toties, vivente Gritto, eum honorem alii nemini mandandum contenderent.

Veronæ interea finibus egressus, Vicentiam profectus erat, eique oppidi magistratus cum armatorum e plebe atque agris decem millibus, ut contra hostes, si tempus ferret, præsidio esset, obviam venerat. Cum vellet extra mu-

ros

ros castra ponere, ne civitati molestus esset; rogatus a civibus ut omnes copias introduceret, ingressus est, diemque unum commoratus, postridie exiit. Galli per id tempus Veronæ se ad Patavii oppugnationem renovandam compararant: quos, ex sexcentis eorum equitibus magna prius parte a suo levi equitatu interfecta, multisque captivis factis, ab oppidi oppugnandi consilio suo interventu prorsus avocavit. Patavii paullum cum mansisset, aliquot Venetæ ditionis oppida, quæ a Republica defecerant, partim auctoritate, partim vi recepta, ad veterem imperii amicitiam traduxit. Hostes, qui se in Veronæ finibus communierant, in oppidum compulit, fugientes insequutus: multis captis, plurimis cæsis, ingentem prædam abduxit: Veronamque iterum cum esset adortus, & potiundæ urbis spem prope in manibus haberet, Lucii Malvetii, qui exercitui præerat, timore & socordia, inceptum irritum factum est: paucorum vero militum virtute quod effecisset, in ceteris defuisset animus, iudicavit. Ea rei bene gerendæ occasione sibi prærepta, Patrum iussu e Veronensium in Patavinos fines copias reduxit, ubi incolarum mentes, Alfonsi Ferrariensium Ducis rebus prospere gestis nutantes ac dubias, suo adventu retinuit, vexatis hostibus, in fide. Erant Veronæ in hostium præsidiis milites Hispani mille, qui Gritti rerum gestarum admirabilique exercitus in ipsum caritatis fama excitati, oppido egressi ad eum miserant, qui castra Reipublicæ sequuturos, si non reiicerentur, nunciaret. Et iam erat rumor Maximilianum in fines Patavinos iterum irrupturum, cum Grittus Patavium confestim exercitum ducit. Ibi incommoda laboresque plurimos cum sustinuisset, gravem in morbum incidit: quæ quidem res Patribus non minorem, quam acceptæ antea clades,

mœrorem afferebat, quod nulla prope iis imperii recuperandi, si quid illi humanitus accidisset, spes reliqua videretur. Militibus vero, qui eo carebant, contingebat quod & equis iunioribus usuvenire plerumque cernimus; quibus alicui assuetis equiti alius forte si obtingat insessor, tanquam repugnantes reguntur, nec ferre possunt. Pariter ii cum alius, Gritto absente, Legatus exercitui esset præpositus, de sua multum alacritate diminuerant, ac mœrentes animo tacitis Andream vocibus poscebant. Enim vero eos ita beneficiis atque præmiis sibi devinctos habebat, ut ab iis plurimum diligeretur: ita vero instituerat, ut eum summopere vererentur, cum firmiorem nulla ratione posse effici aciem intelligeret, quam si tum pœnæ metu parere ducis imperio milites discerent; tum eundem, amore impulsi, libenti atque alacri animo quocunque vocaret fortuna sequerentur. Duo cum mitterentur a Senatu Legati, honoris gradu ac potestate pares; summa tamen rerum omnium semper ad unum Andream respicere videbatur: unius insignis erat & apud exercitum, & apud ceteros omnes auctoritas. Si qua prospere gesta res esset, Gritti nomen passim exaudiebatur, ut solus prope ei muneri præpositus videretur: qua ex re concepta collegæ gravia cum eo fere semper odia gerebant. Non multorum dierum spatio cum e morbo recreatus Patavium reversus esset; ex eius conspectu militibus pristina animi vis, & corporis robur accedere visum est. Eo tempore cum a Patribus tertius Legatus esset lectus, ne tractatæ pecuniæ rationes referre, neve eorum quæ administrasset rationem magistratibus reddere cogeretur (quod non est neque ante, neque post in Veneto cive factum) Decemvirum ei decreto permissum est: quod Patrum de se iudicium tan-

ti

ti fecit, ut nihil in vita sibi contigisse honorificentius affirmarit.

Interim cum Senatus Brixiam, Gallorum imperii pertæsam, & ad Rempublicam redire cupientem, recipiendam esse censeret, uti ad urbis muros exercitum adduceret, mandavit. Erat magni periculi res, quod & urbs ipsa valido præsidio tenebatur, & hostes considerant locis ad auxilia submittenda maxime opportunis: Patrum tamen auctoritati parendum omnino duxit. Quod ubi iis, qui secum erat, aperuit, monere illi atque obsecrare ut sibi consuleret, neque ad interitum ruere vellet voluntarium: ipse autem iis hoc unum opponebat, quemadmodum scelera suscipere fœdissimum esset, & res magnas atque præclaras sine ullo discrimine gerere ad omnes universe pertineret; ita propositis periculis atque morte, eas nihilo segnius aggredi, præstantis id esse proprium viri. Brixiam quam potuit maximis itineribus contendit, atque exercitu locis ad oppugnationem idoneis disposito, urbem, civium Reipublicæ amantium opera adiutus, occupavit. Reliqua erat arx summo in monte sita, quo Galli, plurimis suorum cæsis, confugerant. Eam cum sine gravioribus tormentis intelligeret expugnari non posse, Patres ea de re monuit, simulque petiit ut omnino nulla facta mora mitterentur. Ea cum paullo serius essent advecta, ideoque minus prospere oppugnatio processisset; Gallorum interea præfectus Foius, qui ad oppidum recuperandum Bononia se contulerat, cum aliquot e suis in ipsam arcem receptus est: quod Andreas conspicatus, suis rebus magnopere cœpit diffidere. Studium tamen defendendi non remisit; & omne ab una virtute auxilium petendum statuens, portas, ne quis fuga salutem peteret, occludi iussit, militibus dispositis, qui nemini

exeundi

exeundi facerent potestatem; hortatus suos præterea ut, quam in oppido recuperando virtutem præstitissent, eandem in conservando retinerent. Gallis postero die ex arce in oppidum descendentibus magna se virtute opposuit, magnam partem repulit, plurimos interfecit. Sed ab Epirotis equitibus fugientibus aperta vi oppidi porta, cum esset hostibus, qui non longe aberant, ingrediendi facultas data; ipse a magna suorum militum parte circumventus, quasi proditus a fortuna, cum ipsa urbe in hostium potestatem venit.

Mediolanum perductus, a Ioanne Iacobo Triultio regio præfecto, quocum magna illi necessitudo intercedebat, honorificentissime exceptus, in intimas Gallias missus est. Rex cum neque amplissimorum præmiorum spe, neque perpetuæ servitutis conditione proposita, ut sua stipendia faceret, adducere potuisset, iussit acerrime servari. Idem tamen post aliquot dies, ubi se nihil ea ratione sensit proficere, liberam ipsius arbitratu exeundi potestatem fecit; adiunctis custodibus quinquaginta, quibus undique circumseptus, nemo omnino, nisi si quem Rex ipse permitteret, alloqui posset. Procurabat eo tempore Ludovicus Venetus e Floravantia plebeia familia, exilii damnatus, apud Regem mandata Fliscorum, magnæ tum hominum in Genuensibus potentiæ ac nobilitatis, qui Gallorum amicitiam sequebantur; eratque eo nomine summa apud ipsum Regem, regiosque omnes gratia, ut maximis ei de rebus, gravissimisque communicare consuevissent. Is vel patriæ caritate adductus, vel quod aliquo in Rempublicam merito sibi reditum ad suos comparare vellet, animum omnino induxit Grittum de rebus omnibus, quæ quidem Reipublicæ interessent, in singulos dies facere certiorem. Quia cum eo secreto colloquendi facultas

non

non erat, eiusmodi consilium iniit. Templum erat, quo rei divinæ caussa quotidie fere Grittus hora constituta commeabat. In eo cum animadvertisset Floravantius occultum esse quendam locum secundum aram, nutu indicavit, dum ambo rei sacræ interessent, eo loco si attentius inspiceret, aliquid, quod in rem suam esset, reperturum: latere vero e pariete excepto, tabellas, in quibus erat conscriptus qui Regis esset animus, quæ copiæ, qui bellici apparatus, condiderat, ac lapidem ita apte reposuerat, vix ut quisquam suspicione vacuus agnosceret. Quod institutum cum Floravantius singulis diebus teneret, Grittus, ubi rei divinæ operam dederat, ad eum locum se conferens, de rebus omnibus docebatur: euntem vero custodes, quod religionis caussa eum, ut erat ceterorum consuetudo, eo secedere existimarent, minus diligenter attendebant. Quæ de tabella cognoverat, ad urbem clandestinis nunciis curabat perferenda: ad quæ cum sua Patres consilia accommodarent, magno iis in rebus deliberandis usui erat. Floravantio postea, quod ita de Republica meritus esset, Gallicis rebus pacatis, Decemvirum consulto reditus in patriam permissus est. Eam conditionem Grittus captivus ita perferebat, ut pristina in eo liberi ac summi viri dignitas non desideraretur: quod cum Regi de iis qui custodiebant perferretur, liberum omnino iussit esse, summoque in honore apud se habuit. Nimirum animi magnitudo & virtus eorum, quos aliqua calamitate fortuna perculit, ipsos etiam hostes ad benevolentiam atque admirationem allicit. Tanta vero inerat ei comitas, atque ad hominum animos conciliandos a natura tributa ingenii vis; ut Rex, congresso coram sibi, virum in sermone non minus lepidum atque disertum, quam fortem antea & rei

mi-

militaris peritum, ex rerum bello gestarum fama existimasset.

Interim cum Veneti Brixiam, Hispanorum, quibuscum societatem inierant, auxilio, e Gallorum manibus eripuissent, neque Hispani, qui arce potiti erant, ulla possent ratione adduci, ut Reipublicæ, ad quam ex fœdere pertinebat, restituerent; Patres litteras ad Andream dederunt, si Rex ad pacem posset converti, summopere id ex Reipublicæ usu futurum: sese quasvis conditiones non recusaturos. Tempus ad eam rem Andreas nactus idoneum, cum prius omnibus, quæ ad Venetos bello persequendos Regem inflammabant, rationibus quasdam dicendo quasi tenebras offudisset, demonstrassetque non animi esse regii, ut recentes, si quæ in eum essent, Reipublicæ iniuriæ, veterum eiusdem in Gallorum Reges, atque in ipsum etiam officiorum memoriam expellerent; demum precibus cœpit contendere, ne suæ patriæ exitio esse vellet. Hæc cum pluribus verbis peteret, eius oratione ac studio permotus Rex, dexteram prehendit, consolatus, finem rogandi faceret oravit: tanti eius esse apud se gratiam ostendit, ut ei urbi, quæ civem haberet eum, quem ipse summopere diligeret, esse inimicus prorsus nollet. Itaque pax inter Regem & Venetos est firmo fœdere constituta. Atque Rex extemplo Livianum, qui apud eum custodiebatur, cum ceteris, quoscunque superioribus bellis ex Reipublicæ ducibus captivos fecerat, atque inter hos patricii ordinis aliquot, libertati restitui iussit: neque solum a belli cum Republica in posterum gerendi consilio animum omnino avertit; sed permisit etiam ut eo exercitu, quem habebat, & altero, quem contra Rempublicam parabat, ipsa Respublica pro suo, ubi res ferret, uteretur. Ad ea vero,

quæ,

quæ, Rex, Gritti opera, in Rempublicam officia contulit, signa præterea sui in eum amoris atque iudicii non vulgaria, nec pauca privatim adiunxit: nam vasa argentea magnifice cælata, ad mensam exornandam, muneratus est: e quibus Grittus, uno, quod ponderis minimi fuit, accepto, ne regiam liberalitatem omnino videretur aspernari, remisit reliqua Regi. Item cum eo tempore nata ei esset filia, unum inter eos, qui ad sacri fontis ablutionem susciperent, esse voluit. Plurimas præterea ad res & de regno publicas, & de ipso proprias adhibuit consiliarium; feruntque tum eius potissimum consilio usum, Galliarum Præfecti auctoritatem, quæ quidem summa erat in eo regno, elevasse; quod neque sibi honestam, neque regiis rationibus satis etiam tutam ab eo didicisset.

Consiliis de bello contra Hispanos suscipiendo cum Rege communicatis, æstate media, summis caloribus, per dispositos equos Venetias reversus, a Senatu lectus est, qui pro Legato regia castra sequeretur. Prælio, quod ad Novariam infeliciter gestum est, nulla in re saluti Gallorum defuit: quos cum neque cohortatione, neque precibus a fuga revocare potuisset, doloris atque iræ plenus, quod non tam hostium virtute, quam ignavia sociorum ea ignominia acciperetur, fugæ comes necessario factus est. Interim cum ad eum fama e nunciis esset allata Venetæ ditionis agros ab hostibus vastari, ad opem ferendam neque diurno, neque nocturno itinere intermisso, per medias hostium insidias advolavit. Cum suo adventu hostium animis tantum terroris iniecisset, ut omne in fuga sibi salutis subsidium peterent; factum est culpa ac temeritate Liviani, qui eos persequi atque delere, invito Andrea ac repugnante, animum prorsus

induxerat, ut ii, necessitate ac desperatione, quæ plerumque ignavos etiam animos facit excitari, impetum Venetorum, congressu ad Motam, qui in agro Vicentino locus est, non modo sustinerent, verum etiam, magna cæde facta, repellerent. Eo in prælio Grittus cum fortissime pugnasset, neque animus unquam, milites eum prope omnes deseruissent; invitus ad extremum ex acie discessit. In ea fuga equus lapsu pedem intorsit, ut ferendo mox non esset: quod centurio natione Græcus, cui Theodorus in Palæologa familia nomen erat, conspicatus, equo suo desiliens, Andream in illum intulit. Hostes subsequuti cum iam iam manu tenerent, spesque illi Vicentiam urbem, quo ex clade contendebat, ingrediendi pene præcisa esset, quod portas iis, qui principes fugiendi fuerant, ne hostes una introirent, ante clauserant oppidani; fune a præsidiis in murum sublatus, periculum vix evasit. Palæologus ab hostibus captus est: quo in Rempublicam merito est a Patribus postea in annos ei singulos pensio, quæ posteros eius sequeretur, constituta. Eo incommodo accepto, Andreas, militibus, qui e pugna superfuerant, convocatis, consolatus eos adhortatusque est ne animo deficerent, neve ea quæ accidissent graviter ferrent: non esse in bello servandos omnes: rerum eventus expectandos: sperare se, nisi eam, quam superioribus bellis præstitissent, virtutem omnino proiicerent, brevi futurum ut accepta maioribus commodis detrimenta resarcirent.

Interea Aloysio Gallorum Rege mortuo, Franciscus successerat, &, quam a socero acceperat, cum Republica amicitiam ac societatem tuebatur. Ad eius castra cum Grittus Senatus consulto se contulisset, in præliis, quæ pro re Gallica facta sunt, eum se præbuit, ut & memorabilis illius

contra

contra Helvetios victoriæ, & Mediolani recuperati maximam Rex eius consilio partem acceptam ferret. Hoc tempore Livianus, qui belli summam aliquot annos in Venetis castris administraverat, vita excessit. Eius obitum Andreas tulit iniquissime, quod & fortem, & amantem Reipublicæ virum cognoverat; quanquam maximis ab eo de rebus sæpe dissenserat: quæ tamen inter eos consiliorum sententiarumque dissimilitudo animos disiungere nunquam potuit. Inerat Liviano impetus animi, & quædam maxime innata temeritas, quæ multarum Reipublicæ cladium, & malorum origo fuit: atque in eo viro sustinendo ac moderando nisi incredibilem fere patientiam & obsequium adhibuisset Andreas, multo maiores Venetis luctus & funera peperisset. Hostes interea, qui Mediolanum profecti urbem usque adeo terruerant, ut de deditione facienda cogitaret, Grittus repressit, ut & obsidione desisterent, & eorum profectio fugæ simillima videretur. Præliis pluribus ad voluntatem Gallorum factis, cum iam tempus Veneti imperii in pristinum statum restituendi, Gallis cum Republica conspirantibus, paratis ducibus, animis militum concitatis, oblatum videretur; cunctandum amplius non statuit. Ad Brixiam recuperandam vires contulit universas: quam urbem menses quatuor obsessam, ad deditionem compulit: acceptam, ab omni militum iniuria tutatus est. Mox Veronam copias adduxit: quæ si Reipublicæ subiiceretur, bellum prope confectum videbatur. Atque in oppugnatione ita proficiebat, ut in non dubiam urbis propediem potiundæ spem veniret. Tormentis magna erat murorum pars verberata, atque adeo disiecta, ut nullo iam intercludi pacto posset ingressus. Hostes præterea, cibariis, stipendiisque omnibus consumptis, ita rei frumenta-

riæ, ceterarumque rerum inopia premebantur; ut si diutius obsidionem pertulissent, fame illis esset pereundum: nec iam vires sufficere cuiusquam, nec ferre operis laborem poterant. Columna ipse, qui urbem tuebatur, vir scientia atque doctrina & usu rei militaris præstantissimus, & ante id tempus invictus Imperator, animo ita defecerat, ut de salute desperaret. Tum Lutrechius Gallicarum copiarum, quæ auxilio Venetis venerant, præfectus, fore cum intelligeret ut urbs in Venetorum ditionem brevi veniret, Gritto denunciat pecuniam sibi alendis militibus deesse: eos autem incommoda in obsessione nimis iam multa perpessos, quæ imminerent ferre non posse: ut in agrum Brixianum in hiberna deducantur, postulare: se, ne animos eorum prorsus alienet, eo decrevisse proficisci, & oppugnatione desistere: & quanquam satis a se Reipublicæ factum sibi hactenus videatur; tamen hieme confecta, cum anni tempus ad bellum gerendum revocaret, oppugnationem se renovaturum polliceri. Hæc autem eo pertinebant, ut pecuniam eliceret a Venetis: quorum, ne tam necessario tempore dimitteret oppugnationem, maxime interesse videbatur. Gallorum discessu cum partam prope victoriam sibi e manibus eripi Grittus videret, Lutrechium orare ne tantam negotii bene gerendi occasionem secum auferret: rem pene ad exitum esse perductam: ita Venetos de Gallis meritos esse, ut eo tempore deseri non deberent. Sed cum nulla dimovere de proposito Lutrechium ratione posset, Patres illico de hominis consilio admonuit: quibus cum maximam res ad consilium capiendum afferret difficultatem, Gritto ut quod e republica videret constitueret, permiserunt. Is Brixiæ urbis regionisque curatoribus significavit quod Lutrechius in ani-

mo

mo haberet: item quæ ipsis essent incommoda perferenda, si Gallorum peditum sex, equitum duo millia in eorum agris tectisque hibernare atque inveterascere permitterent, ante oculos posuit: rerum Venetarum ita rationes postulare, ut Gallos eo hiemis perfugio intercludere non deberent; atque posse, si vellent, se eam pestem a suis fortunis depellere, unaque Reipublicæ incommodis mederi: posse Brixiam civitatem & agri incolas non magno suo detrimento incolumes servare, si stipendium Gallorum exercitui per id tempus, quo Veronam circumsedebant, persolvendum curarent: recipere se urbem circa paucos dies aliqua ratione captam iri: fidem Reipublicæ ac benevolentiam si tam difficili tempore præstitissent, Patres æterni beneficii loco posituros: multa præterea addit, quibus Brixianis persuasit ut commodius putarent eam pecuniæ summam conferre, quam Gallos agro ac tectis excipere. Pecunia Lutrechio numerata, ne inceptam oppugnationem dimitteret, facile impetravit; atque ita Verona, parvo spatio interiecto, potitus est. Cum suis iussisset ne qui oppidanorum violarentur, neu qui desiderarentur, est ab omni maleficio atque iniuria temperatum; quod erat incredibilis eius apud exercitum universum auctoritas; ut nec regi ulli unquam, nec tyranno tantum adeo prope fuerit studium imperandi, quod militum eius ad parendum non vinceret alacritas. Neque vero illud prætereundum est, quod cum, exhausto diuturnis bellorum sumptibus ærario, pecunia, quæ exercitui persolveretur, Patres defecisset; uni hoc dederant, ut undecim mensium spatio militiam summa cum inopia sustineret. Sæpe rei frumentariæ difficultate affecti milites extremam famem sustentarunt, atque omnes acerbitates pertulerunt, ne re infecta discederent: & plerique

que ab hostibus capti concessam sibi libertatem hac conditione, si adversus Veneta castra, in quibus Grittus erat, militare vellent, respuerunt.

Verona in Reipublicæ potestatem redacta, cum nihil iam ad imperium, quod Respublica octo annorum spatio amiserat, recuperandum superesset; Grittus ad urbem Patrum litteris revocatus est. Atque illi cum rediret, concursus fiebant undique; ut non modo ex iis oppidis, qua iter fiebat, ac e finitimis, sed ex montibus abditisque convallibus, visendi gratulandique gratia, innumerabilis fere hominum multitudo conveniret. Nihil relinquebatur, quod ad ornatum portarum, itinerumque, & locorum omnium, qua venturus erat, excogitari posset. Ad urbem ut venit, universæ pene civitatis concursus ad eius domum factus est. Quacunque progrediebatur via, omni genere hominum celebrabatur. Plebs civesque universi lætis acclamationibus gratulationes significantes, ut parenti gratias agebant, prosperam perpetuamque fortunam precabantur, & satiare eius aspectu oculos non poterant: quo quidem tempore Grittus præclaram illam, multis audientibus, vocem edidit, se tum præcipue laborum omnium atque periculorum, quæ pro patria suscepisset, fructum ferre. Paucis post eius reditum diebus interiectis, cum Patribus iniecta esset suspicio Selymum Turcarum Regem Alexandria redeuntem in Veneti imperii insulas maritimis copiis impetum esse facturum, eum universo maritimo negotio præposuerant: quo munere in Veneta Republica neque potestas maior est, neque amplior auctoritas. Habet is cum in maritimis provinciis imperium maius, quam sit eorum, qui eas obtineant, tum in classis Præfectos ac Legatos præcipuum ius, idemque prope, quod in Romana olim Republi-

ca Dictator: nisi quod hic Senatus auctoritati & Reipublicæ decretis obtemperat. Tantum huic magistratui cum a Venetis concedatur, raro admodum, & nisi rerum necessitas ita exigat, creari solet; amplissimisque totius civitatis viris, quorum mores antea sint explorati, virtusque non semel perspecta, committitur. Tum vero cum Turcarum Rex, consilio repente mutato, Byzantium se recepisset; factum est ut Andreæ opera Patres ad classem non uterentur.

Haud multos post annos mortuo Antonio Grimano urbis Principe, petebant principatum plerique omni laudum genere præstantissimi optimeque de Republica meriti cives, Leonardus Mocenicus, Dominicus Trivisanus Marci Antonii, quem Principem habemus, pater, Antonius Tronus, & Georgius Cornelius, qui Cypri insulæ regno Venetam Rempublicam auxerat. His omnibus Andreas a quadraginta & uno viris, penes quos est in Veneta Republica Principis eligendi potestas, prælatus est; populo, cuius ex animo iam eius in Rempublicam merita effluxerant, ægre id ferente atque invito. Nimirum multitudo, quæ semper in periculis benemerentes de se cives, quo tempore ipsorum utitur opera, omnibus honoribus afficit; eadem, rebus constitutis, metu deposito, accepta beneficia aut oblivione obruit, aut ingrato animo dissimulat. Verum cum Veneta in Republica plebs nulli adhibeatur consilio, & magistratuum creandorum expers omnino sit, neque eius arbitrio prorsus quidquam relinquatur, nisi quod adimi nullo modo potest, hoc est ut suum studium voluntatemque vultu & voce significet; a populo universo Tronus exposcebatur, atque omnis multitudinis iudicio & significatione is florebat: innocens ille quidem civis, ac in multos benignus; sed nec animo, neque

con-

consilio, neque rerum gestarum gloria cum Andrea conferendus. Ut in vulgus dimanavit & ipsum esse præteritum, & Grittum Principem declaratum, incredibilis plebis animos mœror incessit: fremere omnes, ac maledicta pene congerere. Quæ cum voces ad Andreæ aures pervenissent, non neglexit. Prima ea, quam habere concionem Principes solent, populum liberali oratione prosequutus, alienas multorum voluntates recuperavit, & quicquid erat sermonis adversus se dissipatum compressit: brevi autem temporis spatio administrando principatu omnes adduxit, ut eo in loco libentissime intuerentur. Fuit in principatu rebus omnibus, quibus publica dignitas continetur, ornatus in primis & clarus; publicis conviviis, vestium apparatu, domo, servis, ac omni comitatu & familia. In Republica multa præclare instituit, multa optime instituta, at longo intervallo intermissa, revocavit; & inter hæc præpositum aquis collegium, cui præesse ipse & assidue & libentissime consueverat. Sunt autem multa ab hoc collegio provisa, quotidieque item multa excogitantur, ne aquarum fluxu tardato, in continentem, terra subcrescente, redigatur hic maritimus urbis situs: quo res nulla plane est vel ad speciem pulchrior, vel ad rerum usum commodior, vel ad securitatem tutior, vel denique ad otii & concordiæ studia, quæ Veneta Respublica semper coluit, retinenda accommodatior. Rei frumentariæ omni tempore diligentissime consuluit; ut eo etiam tempore, quo, ob intemperiem cœli, diuturnique belli incommoda, summa quadam inopia omnes Italiæ regiones pervaserat, frugum copia nullo loco uberior, & vilior esset; atque hæc urbs, quæ frumento utitur importato, ceterarum civitatum propinquarum commeatus abunde sustineret. Leges, quibus Vene-

tæ

tæ Reipublicæ iudicia exercentur, ante illius principatum ita dispersas atque diffusas, ut ne summo quidem labore quæ postularet usus liceret invenire, unum in locum cogi, ac in genera distribui a tribus iuris peritissimis hominibus curavit; adiunctis viginti sapientissimis, a quibus quæ tres illi sanxissent, aut confirmarentur, aut tollerentur. Ea res non modo Venetis hominibus commoditatem & voluptatem satis magnam, verum etiam utilitatem exteris gentibus maximam peperit. Enimvero legitimæ Venetorum iudiciorum formulæ sunt huiusmodi, unde civilis coniunctionis conservandæ rationem qui petat, non multum fortasse ab eo quod optimum est, aberret. In his & ceteris rebus, quæcunque ad ornandam Rempublicam, muniendamque optimis legibus & institutis, & ad civilis societatis iura tuenda & amplificanda pertinent, nihil prætermisit, quod vigilantissimi Principis opera ac diligentia confici posset.

Illud autem animadvertendum est, quod ea est ratione institutus Venetæ Reipublicæ principatus, ut non multa sint a Venetis Principibus postulanda. Primum urbem egredi Principi lege non licet; ut neque in bello, neque omnino foras clari alicuius facinoris gerendi facultas detur. In urbe uti summam dignitatem, ita potestatem angustis adeo terminis habet circumscriptam, ut nihil, quod alicuius momenti sit, per se possit unus conficere: neque in ferendo suffragio eius auctoritas maior est, quam cuiuslibet e Senatu; neque omnino in sententia dicenda, nisi quantum hominis gravitas ponderis affert orationi. Proprium munus est ut in civitate frumenti copia suppetat, providere, Principum legatis responsa dare ex Collegii & Senatus sententia, curare ut leges serventur, ut unusquisque officio fungatur suo, ne

quis alicuius gratia, aut opibus, aut iudiciis opprimatur; magistratus cohortatione, castigatione, timore pœnæ in officio continere, liberas querelis omnium aures præbere; denique singulorum magistratuum, quorum in Republica administranda diversa munia sunt, studia universa ad Reipublicæ utilitatem referre; ne qua procuratio aut nimia sedulitate magis quam oporteat intenta, aut negligentia remissa, communis boni rationi officiat. Hæc qui præstat, bonus habetur Princeps, satisque officio suo facere existimatur: quos si prætergredi limites velit, ac ceterorum partes assumere, præterquam Reipublicæ instituta perturbet, atque omnium, quibuscum est ei Reipublicæ administratio communis, in se odium ac invidiam concitet, oportet; præterea quod aget, frustra aget; cedat enim unus pluribus, atque omnia in Veneta Republica ad legum præscriptum, non ad cuiusquam arbitrium revocentur, necesse est.

Cum esset summa senectute, quotidie simul atque lux appareret, faciebat sui conveniendi potestatem: neque tempus ullum erat, aut occupatio omnino ulla, qua homines ab eius congressu excluderentur. Nunquam Senatus, nunquam Comitia desiderabant. In Collegium primus fere veniebat hora diei secunda: quo fiebat ut ceteri quoque eius exemplo eadem fere hora adessent. Eo ex loco ante non discedebat, quam ii, quos in Veneta Republica Sapientes vocamus, qui unum in locum, ut de publicis negotiis, quæ ad Senatum referenda sunt, separatim deliberent, secedere consueverunt, quid consiliorum cepissent, cum eo communicassent. Privatorum caussas una cum Consiliariis (sunt autem ii Sexviri Principi comites & adiutores publicorum negotiorum attributi) audiebat; tametsi in iis caussis diiudicandis

suf-

suffragii ius Princeps non habet. Extremo principatu, cum de bello Solymano Turcarum Regi inferendo ad Senatum referretur, per triduum verba fecit, summopere contendens, ne susciperetur; cum legatos mittendos, atque omnia tentanda esse diceret, antequam arma caperentur; quippe qui iam tum perspiceret quantum ex eo bello Reipublicæ calamitatis impenderet. Res utrinque summa contentione acta est. Ad extremum ea quæ, legatorum missione improbata, bellum decernebat, uno plus suffragio sententia vicit. Eius consilii cum Patres paullo post cœpisset magnopere pœnitere, Senatusconsulto caverunt, ne qua in posterum sententia valeret, in quam non ultra dimidiam Senatorum partem plures uno discessissent. Bello indicto, Princeps suas omnes opes ad eum usum est pollicitus; ac, si Patribus, ut se ad classem conferret, esse e Republica visum esset, non recusabat, quominus vel in extremo spiritu, si quam opem Reipublicæ ferre posset, experiretur. Lata rogatio est, qua classis ei universæ imperium committebatur: sed eam Patres, quod vel ætati parcendum, vel a veteri Reipublicæ instituto minime recedendum existimarent, cunctis, uno excepto, suffragiis reiecerunt. Decreverat ipse paullo antequam bellum existeret, principatu deposito, privatam, quæ reliqua erat, vitam vivere; cum eam appropinquare ætatem intelligeret, quæ a rebus gerendis avocaret; atque huiusce voluntatis rationem necessariis privatim reddiderat, mox publice redditurus Patribus, & demonstraturus quæ sibi senectutis imbecillitas adimeret: quo consilio, ubi privatus vitam ageret, eius, qui Venetæ Reipublicæ Princeps fuisset, dignitati consentaneam, domum amplam & magnificam, ad ædem Divi Francisci exstrui curaverat. Tempus ad id quod statuerat

 per-

perficiendum ab eo constitutum cum adesset, Turcarum bellum subito exarsit: qua novitate adductus, ne cui Rempublicam turbulentis temporibus deserere videretur, consilium in aliud tempus reservavit; non desperans fore ut, pace, cuius maxime tum Patribus erat oblata spes, confecta, quod in animo habebat exequi postea liceret. Sed præripuit hominis consilium fortuna; nam antequam pacis conditiones firmarentur, de vita migravit, pulcherrimumque animi moderationis, atque erga patriam benevolentiæ exemplum posteris instituere ac prodere cum maxime vellet, non potuit. Obiit anno ætatis quarto & octuagesimo, a Christo nato millesimo quingentesimo trigesimo octavo, sexto Kal. Ianuarii, cum annos quindecim, menses septem, dies octo Reipublicæ præfuisset. Eius morte, quamvis maturo satis tempore accidisset, gravissime tamen civitas universa commota est. Funus ad Gemellorum Ædem more maiorum delatum est. Laudavit Bernardus Naugerius, cui omnium primas in eloquentia Veneti dant. Eam Orationem Princeps, antequam vita excederet, ab ipso Naugerio afferri ad se, legique iussit: quam animo attento & hilari audivit universam, sæpeque ipse sumebat in manus, ac eloquentissimi hominis de sua virtute prædicatione mirifice delectari videbatur. Ad Divi Francisci fanum testamento situs est.

Videtur hic me res admonere, ut, cum bellicam Andreæ Gritti virtutem, resque ab eo egregie gestas multis verbis explicaverim; corporis speciem, hominisque mores, quibus vitæ ratio significatur, & tanquam imago maxime exprimitur, ne prætermittam. Venetorum igitur hominum, quicunque ea tempestate fuerunt, est habitus longe pulcherrimus: ac, quæ eum prima ætate commendavit, egregia corporis

uni-

universi species, eadem ne ad extremam usque deseruit; ut non minor seni maiestas inesset, quam aut viro dignitas, aut venustas adolescenti. Cum aliquem salutaret, aut exciperet, esse vultus hilarior aut iucundior non poterat: contra, si cuius eum improbitas perversitasque commoveret, nullius erat aspectus terribilior. Ingenio fuit ad iucunditatem magnopere propenso; nam & facetorum hominum consuetudine mirifice gaudebat, & iocabatur ipse libentissime. Aiunt solitum dicere, se in vita rebus seriis nunquam ita operam dedisse, ut iocosas intermiserit; nunquam ita iocosis, ut serias neglexerit. Loqui ad voluntatem neque ipse poterat, neque ferre qui ad istud artificium eruditus esset. In amicos erat fide & benevolentia singulari, ac de commodis eorum, quos diligere aliquando cœpisset, cogitare nullo tempore desistebat. Si quid viderat, in quo eius opera usui esse posset, sua sponte suscipiebat: singulis vero, admonitus, nulla re aut loco deerat. Ad eos, qui bene essent de Republica meriti, præmiis afficiendos ita propendebat, ut modum in ea re plerique desiderarent. Patres autem, qui de publicis rebus in Collegio deliberabant, ne in eo, quod ipsi non probabant, instituto Princeps maneret, atque etiam ut eius auctoritas, quæ in Republica iam valebat plus aliquanto, quam ipsi vellent, aliqua ratione minueretur; in eo conspirarunt aliquando pene universi, ut ea in re Principis voluntatem ac studia suis ipsi sententiis oppugnarent. Quo tempore cum quidam fortis & amans Reipublicæ centurio ad urbem venisset, ut stipendio ac dignitate augeretur, & primum cum Principe, quocum ei magna & pervetus familiaritas intercesserat, privatim egisset, ne sibi auctoritate ac gratia deesset; Princeps quo in se Patres essent animo docuit: si or-

nan-

nandum palam susciperet, futurum ut omnium eorum a se alienaret voluntates, & quid eum vellet facere ostendit. Paruit centurio. Lucam Tronum, Aloysium Mocenicum, nonnullosque alios Senatores, quos auctoritate in Collegio reliquos anteire, Principisque sententiæ præter ceteros repugnare ex ipso audierat, convenit: sua iis in Rempublicam merita commemoravit, & quid cuperet aperuit: a quibus cum ad Principem reiiceretur, ipse, ut erat edoctus, de aliena eius a se voluntate questus est, omnemque in ipsis se spem repositam habere dixit. Id ubi illi acceperunt, bono statim iusserunt esse animo: se se minime defuturos. Accessit ad Collegium centurio, quid vellet exposuit: Patres dignum sibi videri, qui quæ peteret impetraret: Princeps contra repugnare. Suffragiis res permissa est: cum numerarentur, nullum, quod centurionis petitionem reiiceret est inventum. Tum vero Princeps ad centurionem conversus, Patribus audientibus, num suum ei consilium profuisset, subridens interrogavit.

In re familiari impertienda non minor in eo liberalitas apparuit: æs alienum sæpissime suscepit amicorum gratia, multosque patricii ordinis, quibus res erat tenuis, in filiarum collocatione adiuvit, & plurimorum calamitates suis fortunis sublevavit. Quæ hominis beneficentia ita late patuit, ut rei familiaris rationem fere nullam habere videretur: atque id ipsum in morte indicavit; nihil enim fere, quod hæredes caperent, reliquit. In quos beneficium conferebat, animo erat benevolo & studio pene singulari: adeo se illis debere aiebat, qui sibi occasionem darent bene gerendi. Singulis hebdomadibus in egenos statuta die certam pecuniæ summam, pro opum ratione, distribuebat; nec in

vita

vita hoc institutum ullo aut loco, aut tempore intermisit. Beneficii, quod ipse aliquando accepisset, nullo tempore obliviscebatur. Quorum egregia aliqua in re esset industria, eos commendatione, auctoritate, opibus, & quacunque ratione poterat, fovebat. Ita præclararum rerum atque artium studia excitabat. Nimirum ut cœli temperie & salubritate fruges crescunt ac vigent maxime; ita eorum qui præsunt, quibusque ad largiendum res suppetit, benignitate, hominum ingenia atque artes aluntur, & mirifice efflorescunt. Inter ceteras res egregias digna videtur hæc, quæ non prætereatur, quod cum ab Augusti imperio, usque ad patrum ætatem, naves, quæ pluribus, quam trinis, agerentur remis ad pugnandum idoneæ ignorarentur; quadriremes, & quinqueremes, Gritto Principe, ab ipsis, quorum ipse industriam beneficentia sublevabat, renovatæ sunt, atque ita ædificatæ, ut vetusta illa mensura ad præsentem usum accommodata, multum rei navali ornamenti præsidiique adiunxerit. Quæ impensæ in ædificiis exstruendis collocabantur, eas optime positas iudicabat; atque ut urbs & oppida urbis imperio subiecta novis quotidie muris, plateis, pontibus, publicis ædibus instruerentur, summo studio curabat: neque in iis partem ullam, quæ aut muniri, aut ornari posset, desiderari patiebatur. Domui Prætoriæ in urbe, quod nimis ei angusta videretur, accessionem adiungere statuerat, ædibus eversis, quæ e regione sunt ultra rivum, qui Prætorius dicitur, & ornare hortis, atque omni cultu perpolire, ut Venetorum Principum dignitati esset consentanea: iamque cum dominis earum domuum, quæ demoliendæ essent, & cum architectis transactæ res erant; sed opere nondum inchoato, vita discessit. Litterarum studia summopere dilexit, atque erat acer-

rimus

rimus ingeniorum æstimator: nihil vero deesse litteratis hominibus, nullum commodum, nullum ornamentum patiebatur: neque maximam solum temporis partem, quo a publicis muneribus requiescebat, in bonarum artium studio collocabat; sed in ipso bello, in quo tanta rei militaris solet esse occupatio, nunquam intermittebat. Ingenio ita floruit, ut eius consuetudinem propterea studiose quærerent ii qui ingenii laude præ ceteris excellere putabantur. In hominum moribus indagandis & pernoscendis fuit acri quodam iudicio & providentia. Tenent memoria plerique quod cum Constantino e Cavacia plebeia familia a Decemviris scribæ munus, quod eius ordinis honestissimis probatissimisque hominibus committi solet, delatum esse accepisset; ubi ceteri magnopere homini gratulabantur, se contra eius vicem dolere dixit, quod ei non tam partum honorem, quam mortem fœdam & ignominiæ plenam comparatam intelligeret: quod postea res comprobavit; nam perduellionis crimine convictus, laqueo vitam finisset, nisi pœnam fuga vitasset. Ad ceterarum quamlibet rerum futurarum coniecturam erat sapientissimus; neque solum multo ante prospiciebat quid accidere posset, sed cum quid evenisset, minima deliberatione quid melius, aut peius esset, vel obscurissimis in rebus maxime cernebat. Memoria fuit quadam excellenti, cum vel semel audita semper meminisset: quæ vero gessisset ipse, quibusve aliquando interfuisset, ita hærerent, ut ea vel in extrema ætate quasi recentia narraret. Religionem, atque ea quæ sunt a sanctissimis hominibus ad bene & Christiane vivendum instituta, coluit diligentissime. Etenim cum Mediolani obsidioni veris fere tempore una cum Gallis interesset, iisque, omnibus interclusis, neque pisces, neque obsonia omni-

no ulla religionis diebus accommodata aliunde suppeterent, carnium autem copia non deesset; per totum illud quadraginta sex dierum spatium, quo eæ Romanæ Ecclesiæ præcipuo mandato interdicerentur, præter olera, nuces, & poma, neque gustavit ipse quicquam, neque apponi mensæ passus est. Laboris fuit ultra fidem patiens: incredibili ad res conficiendas celeritate, ut singulis fere eodem tempore interesse, singulaque administrare videretur. Valetudine bona in primis ac firma usus est: ex quo fiebat ut raro in morbum incideret; tametsi ea quæ aut prodesse, aut obesse possent, neque in victu, neque ceteris in rebus unquam cavebat, aut omnino observabat. Inerat hoc ei, ut nullis cogitationibus aut curis ita unquam distineretur, ut cogeretur vigilare, neque somno cum se dedisset, certo quodam horarum spatio abstraheretur: si qua vero agenda res erat, tempestivus ad horam constitutam, nullo excitante, expergiscebatur. Sæpe noctu in castris in equo sedens & armatus capiebat quietem, atque etiam quiescens iter, si res ferebat, equo vectus tota nocte continenter faciebat. In rebus adversis, quas in vita plurimas pertulit, hominum fuit omnium constantissimus; ut quique hominis vultum & verba nullo unquam adverso rerum eventu immutata, quasi rem, quæ naturæ maxime repugnaret, summa cum admiratione intuerentur. Equos alendi studio mirifice est delectatus, atque iis ita apte, ita scienter utebatur, ut artificium atque peritiam etiam atque etiam egregia corporis forma species augere videretur. Scientia fuit in muniendis oppidis singulari usque eo, ut Franciscus Gallorum Rex, cum Mediolanum ad omnem hostium impetum communire constituisset, a Patribusque impetrasset ut Andream ad se mitterent, maximo sibi ad eam rem senserit eius ope-

ram esse adiumento. In re bellica calidis & periculosis consiliis cauta & quieta semper anteposuit; ita tamen ut declinandis periculis non commiteret timidus ut videretur. Sunt qui Fabio Maximo simillimum belli gerendi ratione affirment fuisse, ut uterque etiam non dissimiles duces, quorum sibi esset reprimenda temeritas, alter Minutium, Livianum alter, in bellis socios haberent: uterque facile tacere, celare, dissimulare, insidiari, præripere hostium consilia. Eloquentia præter ceteros valuit, senatoria idem & militari. Pronunciabat dulci & proprio quodam oris sono, linguamque velut instrumentum aliquod plurium chordarum, ad quascunque libebat actiones convertere facile poterat; tenebat enim perfecte Latinam linguam, Græcam, Gallicam, Hispanicam, Anglicam, Turcicam.

Floruit mirum in modum in urbano atque eleganti iocandi genere, quo sæpe ad perstringendum liberius utebatur. Multa ab eo graviter acuteque dicta circumferuntur, e quibus aliqua commemorare satis erit. Cum quendam eius filium Laurentium ex non iusto matrimonio genitum honorificis in Collegio verbis appellantem modestiæ caussa monuisset, ne filium huiusmodi appellatione decoraret, quæ amplioris fortunæ homini magis conveniret; atque unus e Patribus, qui nullum, quo perstringere Principem posset, perdere dictum consueverat, inique eum admodum dixisset facere, qui ut ex eius filiis alterum Illustrissimi ac Serenissimi titulo Senatus honestaret (hoc enim nomen Aloysius obtinuerat), æquissimo atque etiam libenti animo pateretur; alterum vero a se muliere ex eadem procreatum debito verborum honore fraudari vellet: hæc autem hominis verba eo pertinebant, ut Principi invidiam eo conflarent, quod e non

le-

legitimis nuptiis natum filium eiusmodi verborum ornamentis permitteret insigniri: tum Princeps illico subridens respondit, si Aloysium filium Senatus Illustrissimum ac Serenissimum nominaret, id Turcarum Regi, apud quem locum obtineret honestissimum, tribuere; quemadmodum & ipsius, ut Senatoris, uxorem (nata autem erat e concubina) quicunque Magnificam diceret, eum de ipso potius, quam de illa cogitare; hoc enim honoris titulo patriciorum filios tantummodo ex iusto matrimonio natos afficere, Venetorum moris est. In Ginottum quendam cædis reum, hominem factiosum, quæstione constituta, profectus erat inquisitor, multorum armatorum ex iis, qui affinitate cum interfecto erant coniuncti, comitatu septus, ne qua sibi vis ab ipso Ginotto, aut ab eius operis afferretur. Apud Andream postea caussa cum tractaretur, clamaretque reus testibus, qui in se dicerent, minime credi oportere, multosque ex adversariis, cum inquireretur, affuisse armatos; cumque id sæpius iteraret, tandem Andreas se valde mirari ostendit eum, qui ad investigandum maleficium ab homine tam nocente atque factioso commissum profectus erat, tantulo se præsidio contra eius vim atque potentiam satis se tutum existimasse: ita reum qua maxime re ad sui defensionem erat usus, ea maxime in invidiam adduxit. Morte Aloysii filii annunciata, cum animo ita consternaretur, ut gravius in vita tulisse nihil præ se ferret, atque amici qui aderant, ut consolarentur operam darent, monerentque, ne constantiæ & fortitudinis, quam omnibus in rebus adversis maximam antea præstitisset, memoriam abiiceret: tam apparuisse illum Francisci filii unici obitum æquo animo atque hilari etiam vultu ferentem, minime ut deceret ut Aloysii casu tam gra-

G 2 viter

viter commoveretur; respondit ille, mirari eos non debere, si Aloysii mortem tam acerbe ferret, quod eum minime unquam dubitavit a se genitum, qui magnitudine animi ex se ortum comprobasset. Commemorantur cetera pleraque eius & facete & sapienter responsa, præsertimque maximis de rebus quærentibus legatis; quæ putavimus omittenda, quia ex iis, quæ posuimus, quo fuit ingenio satis apparet. Atque in hominis vita moribusque memorandis longior ne sim; hoc unum indicasse satis erit, Andream Grittum res ex iis, quæ ab hominibus præclaræ putantur, numero infinitas, natura magnopere diversas ita cognitione atque usu comprehendisse; ut nullam ad rem non idoneus, & non proprie factus visus sit; quasi ex multiplicibus excellentium hominum naturis esset conflatus.

Inter quæ tot bona si quid est in eo desideratum; quia mihi non ut eius præclare facta solum atque laudes, sed mores & vitam universam ut explicem est propositum; prætereundum non videtur. Gloriæ igitur cupiditate nimium duci plerisque visus est, nimium etiam sibi tribuere; ut Patavio conservata, illa Atlantis imagine, quam ei a Cotta munere missam scripsimus, quasi suæ indice virtutis omni loco uteretur; ac quæ gessisset ipse semper in ore habere, & quodammodo ipsemet celebrare videretur. In principatu plus sibi sumere auctoritatis, pluraque velle unus sine aliorum consilio administrare videbatur, quam ii, quibuscum gubernandæ Reipublicæ erat ei potestas communicata, æquo animo pati possent. Absentibus Consiliariis, præsertim belli tempore, publicas, quæ perferrentur ad Senatum, litteras resignare consueverat, contra legem antiquitus institutam, qua cavetur, ne id Principi sine tribus saltem ex Sexviris, qui

ei


ei assident, facere liceat: quod Consiliarii cum ferendum non existimarent, legem eam in eius principatu retulerunt, graviori adiuncta pœna. Ab opinione, si quam animo imbibisset, non ita facile recedebat: perseverantiam nonnulli, quamplurimi pertinaciam appellabant. Obiectum præterea quod nimis scurris & id genus hominibus fuerit plus aliquando delectatus, quam hominis gravitas postularet; ut Marthæ etiam cuiusdam ancillæ ineptias aniles atque convicia in eum non solum ferret, sed magna quoque cum gratia exciperet. Visus est etiam aliquibus nimis laute vivere, servorum comitatu, apparatuque magnifico & pompa plus æquo delectari. Edacitas item in eo reprehensa est, cum cibis semper multis, sæpissime insalubribus vesceretur; & in ipsa etiam senectute allia, cæpas, & huius generis plerumque multa post cœnam avide comedebat: quare Laurentius filius cogebatur omnibus qui ministrabant interdicere, ne quid eiusmodi paternæ mensæ apponeretur, flagitanti etiam denegaretur: & Martha vetula illa cœnanti fere semper astabat, quæ, si quid Princeps tale appetisset, iocans anili libertate castigabat, & abreptum auferebat. Nihil vero est, quod eius nomini atque splendori maiorem labem asperserit, quam quod ad res venereas fuerit magnopere proclivis; ut, si cuius forma mulieris ei paullo visa esset liberalior, nec sumptui, nec labori parceret ulli, ut potiretur.

Liberos procreavit quinque: Venetiis unum, cui Francisci nomen erat, ex uxore: Byzantii ex concubina Græca muliere quatuor, Petrum, Aloysium, Laurentium, Gregorium. Franciscus cum e Quinqueviris esset, qui de rebus maritimis ad Senatum referunt, adolescens mortem obiit. De eo, si vitæ contigisset usura diuturnior, sperabantur quæ

summa

summa sunt. Superstites filius parvas natas reliquit duas, quarum alteram Andreas avus postea Ioanni Pisano Aloysii, alteram Paullo Contareno Zachariæ Equitis filiis, florentissimis totius urbis civibus, in matrimonium collocavit. Aloysius e quatuor unus, qui e non legitimis nuptiis erant suscepti, magni animi vir, magnæque virtutis, in Turcarum Regis intimam amicitiam ac familiaritatem ita se insinuavit, ut ad colloquia cum eo de gravissimis rebus (quod nostrorum hominum contigerat antea nemini) adhiberetur, & maximarum ei rerum negotia multa committerentur. Regiæ pene fortunæ cum suam proximam esse intelligeret, privatam conditionem, ut humani mos est ingenii, despexit; atque ad eam vitæ rationem se dedit, qua ea quæ iam animo conceperat, ampla atque eximia facile videretur consequuturus. Quæ cogitaverit, quæque sit aggressus, est a nostrorum temporum hominibus litterarum monumentis consignatum. Ea qui legat, reliquorum hominum, quoscunque adhuc aut virtus, aut fortuna præter ceteros illustravit, non magnopere opes & amplitudinem admiretur. Extulit illum ad eum dignitatis locum & gratiæ culmen vitæ splendor, ac liberalitas, miraque in barbarorum hominum animis conciliandis calliditas & ingenium; præcipue vero Habraimi, unius e principibus viris, qui apud Regem omnia poterant, summa erga eum benevolentia. Non minimum etiam ad eam auctoritatem & gratiam comparandam atque augendam adiumento hæc duo fuere; quod Principis esset filius, quod Thracii sermonis verbo *Beoglì*, quo ea illum natio cognomine appellabat, significatur; & quod eo genitus esset patre, cuius ad illud usque tempus nomen in ea regione maxime esset illustre. Litteras ad Aloysium, postquam ad res Turci-

cas animum operamque adiunxit, scripsit Andreas binas tantummodo. Per alteras, cum magna Italiæ fames immineret, cum eo egit ut a Rege contenderet, fruges ex illis regionibus ad urbem ut adduci liceret: quod facillime impetravit. Alteris monuit, ne Turcarum consilia nimis exquireret, neve ad barbarorum regna & imperia, quæ nec sine periculo quæri, nec sine magnis opibus, magnoque negotio retineri possent, ullo modo etiam affectaret; neque se publicis negotiis omnino admisceret, nisi quatenus patriæ rationibus exemplo suo posset consulere: cui si consilio paruisset, opes amplas atque florentes, quas ei fortunæ benignitas obtulerat, vitamque simul diutius retinuisset. Ad mortem cum duceretur, unum e familiaribus, qui inter Transylvanos ignotus latebat, inspiciens, edidit hæc Italico sermone: Si quando contigerit ut cum patre colloquaris, ad hæc me redactum renunciabis, quod non eius præcepta observaverim.



AÑ
COLLEGIO UNIV.
P A